DE EXTREMO DEI IVDICIO ET INDORVM VOCATIONE LIBRI II:

Authore IOANNE FREDERICO LVMNIO.

DEVTERO. XXXII.
Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.
MATTH. XXIIII.
Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.
MARC. XIII.
Videte, & vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.

ANTVERPIÆ,
Apud Antonium Tilenium Brechtanum.
M. D. LXVII.
CVM PRIVILEGIO.

PRIVILEGIVM.

CAVTVM *est regio Priuilegio, ne quis alius, præter Antonium Tilenium, ad triennium imprimat, aut alibi impressum vendat librum,* De extremo Dei iudicio, & Indorum vocatione, per Ioannem Fredericum Lumnium, *conscriptum; sub pœna confiscationis librorum, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ* 20. *Decemb.* 1566.

Sign.

De Perre.

GENEROSISSIMO HEROI ANTONIO A LALAING COMITI HOOCH-*stratano, Baroni in Borsſele, Sombreſt &c. auratæ militiæ Equiti.*

S. P. D.

SI Tertullus orator, vt in Actis Apoſtolorum eſt, Heros Generoſiſſime, verè dixit Felici præſidi, quòd per ipſum Iudaicus populus, in multa pace ageret, & multa corrigerentur, per illius prouidentiam: quanto verius nos dixerimus, totũ illud celſitudinis tuæ prudentiæ ſingulari acceptum eſſe ferendum, quòd vniuerſi Catholici, qui huius ſunt ciuitatis, & patriæ, ea pacis trãquillitate adhuc fruantur, quæ in tanta rerum & temporum calamitate, vix ab vllis expectata fuit. Addam & illud, quòd, cùm infeſtus, acerq; fidelium hoſtis, nõ ſolùm rempublicam Chriſtianã, in hoc occiduo orbe, varijs errorum fluctibus turbare, ſed & ſubmergere penitus conetur, deiectis Act. 24.

 impri-

imprimis,& quaſi ſuffocatis pręcipuis no-
ſtræ antiquæ religionis inſignijs: tu te, ve-
Ezech. 13. luti murum opponis firmiſſimum,pro do-
1. Timo.3. mo Iſrael,quæ Paulo teſte,eſt eccleſia Dei
viui, columna & firmamentum veritatis.
Iudith.15. Quapropter ſi hoc iure vidua Iudith lau-
dari meruit apud ſuos, quòd poſtpoſito
honeſtatis & ſalutis ſuæ periculo, Holo-
phernem peremit: Bethuliam ab anguſtijs
ſuis, quas ex obſidione acceperat, libera-
uit; tu certè cumulatiori laudis præconio
dignus cenſendus es apud omnes,qui pri-
dem,nullam perſonæ tuæ ratione͂,nullum
vitæ reſpectum habens, ſed diuino fretus
auxilio, templum illud quõdam ſanctum,
in quò tunc ſacrilegorum turba irruerat, in-
greſſus es,vindicaturus illatam ibi &Deo,
& eius ſanctis iniuriam. Quod, ſi tui ge-
neroſi animi conſtantia, & zelus purè Ca-
tholicus, tum non feciſſet,non ſolùm hoc
nobiliſſimum totius Europæ emporium,
ſed vniuerſus inſuper Brabantiæ ducatus,
cum adiacentibus prouincijs, de ſua pace,
& fide periclitaturus videbatur. Hoc om-
nium piorum voces ſonant, hoc omnium
ora

ora testantur. Insultet clam aduersarius, & in angulis suis obganniat: mutet Iustitiæ nomen in tyrannidem: constantiam pertinaciam fingat, fidem dicat errorem: nos, qui vero Catholici nominis titulo insigniti sumus, & triumphantis crucis gloriamur vexillo, tuam fidem, cōstantiam, zelum & prouidentiam nunquam celebrare cessabimus. Si Moyses filios Leui manus suas Exod. 32.
Domino consecrasse dixit, postquam ipso iubente, viginti tria millia hominum, qui Vitulum adorabant, occiderunt, crimē ne erit dicere, quòd Dei minister, vindex in Roma. 13.
iram ei, qui male agit, & qui non sine causa gladium portat, perfidorum & sacrilegorum puniēdo audaciam, bonorum laudem & cęlestem benedictionem non promereatur? Os diuinum mentiri nō potest, nec fallere, quod mira quadam verborum opulentia, id, quod castissimus Phinees perpetrarat, commendauit; qui zelo diui- Numer. 25.
no contra eos, qui peccabant, commotus, auertit iram Dei à filijs Israel: & ob id, dedit illi Deus pacem fœderis sui, & pactum sacerdotij sempiternum. Nunc prætermit-

to Heliam, qui non ſine laude quadringẽ-
3. Reg. 18. tos Baal ſacrificulos, cùm in ſui erroris per-
ſiſterent opinione, ad torrentem Ciſon in-
1. Reg. 15. terfecit: Samuelem, qui Agag pinguiſſi-
mum, eo quòd filijs Iſrael aliquando reſti-
terat, manu propria coram Domino, in fru
2. Reg. 1. ſta concîdit: Dauid regem, qui nuncium,
quòd Saulem Chriſtum Domini occidiſ-
ſet, dicentem, ſtatim percuti iuſſit. Cùm
2. Reg. 6. Oza manum ad arcam Dei extenderet,
eamq́; tenere vellet, ne bobus calcitranti-
bus, in terram decideret, percuſſus eſt à
2. Paral. 26. Domino. Et Ozias rex ingreſſus in tem-
plum, vt incenſum adoleret, quod ſolis
competebat ſacerdotibus, punitur à Deo;
& in fronte lepra inficitur. Vt Oza ſedu-
lus & multum officioſus erga arcam, non
ſolùm non reprehendi, ſed & laudari de-
buiſſet, ſi non ſtatim ſubſecuta punitio,
quòd temerarius fuerit, declaraſſet: ita &
Ozias rex thurificans Deo odorem ſuaui-
tatis, expers criminis viſus fuiſſet, niſi im-
miſſa in frontem ipſius lepra teſtaretur,
quòd non placaret Deum, ſed offenderet.
Daniel. 5. Balthazar rex Chaldæorum facto conui-
uio

ulo optimatibus ſuis, cùm eſſet temulentus, præcepit afferri vaſa aurea & argentea, quæ quondam pater eius Nabugodonoſor, de templo, quod Hieroſolymis erat, aſportauerat, vt biberent in eis rex & optimates eius: vxores eius & concubinę. Qui paulò pòſt ex miraculo ſimul & prodigio, quod manus ſcribens in pariete è regione luminis exprimebat, conturbatus plurimum & deterritus, eadem nocte interiit. Si ergo iniquum eſt, non dico vindictæ cupiditate, ſed diuinæ iuſtitiæ & pacis cōmunis conſeruandæ zelo animaduertere in illos, qui ſacrilegij criminis rei ſunt; qui mentis quadam furia incenſi, templis, aris, & imaginibus vim inferunt; qui per fas & nefas ſacrum ſimul & prophanum inuadunt abripiuntq;, iniquus fuit Moyſes: iniquus Phinees: iniquus Samuel: iniquus Dauid: iniquus Helias: quin etiam (quod abſit) iniquior eſſet & Deus, qui Ozā non rapientē arcā, ſed ſuſtentantē percuſſit: regē Oziam non deſtruentem altare aut violātem, ſed thus iaciētem puniuit: regem Balthazarem vaſa templi ſacra, non pedibus

terentem, non flammis tradentem, ſed bibentem ex eis, & ita prophanantem occidit. Hæc propter illos, obiter diximus, qui iudicium & iuſtitiam in eos fieri nolunt, quorum ipſi, aut erroribus fauent, aut peccatis communicant : qui dominationem ſpernunt : maieſtatem poteſtatis, quæ à Deo eſt, blaſphemant: qui veneranda antiquitatis decreta, & vſu perpetuo ac diuturno, ab omni populo & in omni loco, approbata abijciunt, & ſuas erroneas nouitates ſtatuere volunt. Quod (prô dolor) malum, quantas rerum mutationes inuexerit, in vtriuſque ordinis, tam prophani quàm ſacri, Principes: quantas in Chriſtiana profeſſione tempeſtates excitauerit, teſtis nobis eſt magna pars orbis. Videmus ne Germaniam, olim & opibus & viribus florentiſſimam, ob id, quòd antiquæ fidei olim imbibitæ deſeruit religionẽ, & nouitatis errorem recepit, debilitatam, deſtructam, ſubuerſam? Quid nunc de Anglia? quid de Scotia referam? quum Chriſtianiſſimum Galliarum regnum, tam acerbas perfidiæ ſuæ pœnas luerit, vt vel ipſum ſolum

Pſal. 118. In epiſt. Iudę. 2. Petr. 2. Roma. 13.

lum cæteris Christianitatis prouinciis, & exẽplo, & documento esse possit, quod nihil demẽtius, nihil exitialius, nihilq́; horribilius sit, quàm antiquitatis vestigia deserere; vnitatis vincula dissipare: quàm Catholicorũ Patrũ non inhærere decretis, sed quibuslibet spiritibus credere: quàm vniuersalẽ Ecclesiã toto orbe diffusam, aut priuata oppetere erroris perfidia, aut peruersis vitę moribus abnegare. Hoc, si ante annos paucos, ciues Antuerpiẽses potuissent intelligere, & credere voluissent, non tanta rerum suarum dispendia facerent: nõ tot, tantisq́; calamitatibus concuterentur: staret in sua pace, & honore respublica: maneret integra fides: iustitia vigeret: negotia crescerent mercatorum, augerentur familiarum opes: & cum hilaritate, sicut dicit & monet Apostolus, cui tributum debemus, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem redderemus. At nunc, cùm nec exempla vicinarum regionum, nec, quæ elapsis his annis pericula paulatim sensimus aduentare, cautiores nos fecerint; fit nutu Roma. 13.

quodam diuino, vt ex omni loco pessimi quique & sceleratissimi, prædandi animo, in hanc nostram ciuitatem confluant: vt illi ipsi caussa nostræ perditionis sint & erroris, qui ne erraremus & perderemur, in exemplum nobis propositi sunt. Hinc ergo omnes istæ, quas audimus, & experimur, rerum turbationes non immeritò in nos cadunt, grauantque; vel, quia dum licuit, & rei necessitas postulauit, non studuimus satis præcauere, ne malum pridem in plebecula cœptum, serperet longius: vel quia plerique dum suis nimium indulgent affectibus, illos potiùs audiendos esse arbitrati sunt, sibiq; imitandos, quorum doctrina laxior, & conuersatio voluptatibus carnis propinquior esse videbatur. Quanta autem malorum sit exundatio, quæ illinc in omne genus humanum effluxit, non qui modò adhuc nobiscum degunt, sed qui posteriori sæculo, quod nostram ætatem sequetur, victuri sunt, cognoscẽt. Cæterùm, quia inuictos Principum, & multorum nobilium Heroum animos, ista errandi & malè credendi libido nec-

dum

dum pellexit, firmiter sperandú est, Deum nobis fore propitium, qui sicut totam subinde congregationem, ob eorum, qui præsunt, delictum affligit: ita non rarò ob virtutem præsidentium, parcit & cõniuet totius communitatis erroribus. Quo nomine, Comes Generosiss. quum omnia T.C. quæ nostræ facultatis sunt, debeamus (audeo enim dicere, nihil esse in nobis, quod sibi tam prouidi ac strennui GVBERNATORIS, si velit, non possit, vendicare fidelitas) ingratus essem planè, si quid, in quo tibi gratificari queam, denegarem. Cùm igitur quorundam consilio, paruum æditurus sim opusculum *De extremo dei iudicio, & Indorum vocatione*, à me cõscriptum, & horum temporum infœlicitati peropportunum; puto esse officij mei, vt sic vel minimum faciam gratæ mentis indicium, illudipsum, qualecunque sit, C. T. nuncupare. Quod eo quidem libentius facio & liberius; partim, quòd ad id suasores habeam viros pietate insignes & doctrina: partim etiam, quòd præsagiam laborem hunc nostrum, apud multos gratiorem

futu-

futurum celeberrimi nominis tui patrocinio. Scio munus esse exilius, quàm tua vel dignitas postulat, vel pro Ecclesia Dei sollicitudo meretur: sed quæso boni consulas, & gratificandi magis affectum, quàm munus ipsum inspicias. Precor Dominum Iesum vt T. C. sicut nunc est doctrina, fide & pietate singulari prædita, ita constantem, crescentem, & perseuerantem esse velit Ecclesiæ suæ. Antuerpiæ octauo Ianuarij, anno 1567.

T. C. deditissimus

Ioannes Fredericus Lumnius.

CVm scriptura diuina dicat: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: & Christus respondeat discipulis de restitutione regni Israel, interrogantibus; Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: & Paulus scribat Thessalonicensibus: De temporibus autem & momentis fratres, non indigetis vt scribamus vobis: ipsi enim diligēter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet; vereor nequis audaculum me & temerarium iudicet, cùm in præsenti opusculo, humanas tantùm cōiecturas, & quæ vero solum similia sunt argumenta me compilasse viderit, ex quibus quòd supremus mūdi dies propè instet, ostendo. Sed absit vt ego id scire, nedum docere, alijsq; communicare præsumā, quod angelis cælorum scire concessum non est: dicente Christo in Euangelio: De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. Quapropter libens & ex animo fateor nostrū nequaquam esse, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, nec indigere nos, de temporibus & momentis cognoscendis, aliquo scripturarum certo testimonio, quandoquidem vniuersi

Eccle. 3. cap.
Act. 1.
1. Thes. 5.
Matth. 24.

vniuersi & scimus, & credimus, quia dies Do-
Lucæ 21. mini non solùm sicut fur in nocte, ita impro-
Lucæ 17. uisus, verùm etiam occultus sicut laqueus: subitus sicut fulgur: clarus sicut ignis superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ; quæ profectò altiora, & fortiora sunt, quàm quæ ab humano ingenio maximè licet curioso scrutari, & percipi possent. Sed tamen hoc diffiteri nec volumus, nec possumus, quin omnibus liceat, sine aliqua superbæ præsumptionis nota, vel etiam absque diuinæ, & Apostolicæ prohibitionis offensa, summa diligentia ac labore ista omnia in scripturis sanctis indagare, quæ diem Domini extremum, vel iam iam aduentantem præcurrunt, vel præsentem esse ostentant: alioqui superuacaneum apostolis à Christo dictum videretur.
Lucæ 21. His autem fieri incipientibus, suspicite, & leuate capita vestra, quoniam appro-
Matth. 24. pinquat redemptio vestra. Et iterum: Ab arbore autem fici discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Si itaque noluisset Dominus Iesus cuiquam nostrum esse curæ, illa ipsa aut ex scripturis, aut ex verisimilibus rationibus inuestigare, vnde iudicium extremum vel iam quodammodo præsens, vel multum nobis vicinum cognoscere valeamus, non vtique tanto studio certa

prodi-

prodigiorum ſigna, certa rerum inſenſibiliū argumenta pectoribus Apoſtolorum inculcaſſet, quibus teſtatum eis voluit, tunc indubitanter vltimum diem inſtare, quando cuncta ab ipſo prædicta adimpleri cernerent. Et ob id pro maiore indubitatæ veritatis certitudine, ab arbore fici parabolam eos diſcere voluit, vt ſicut hæc, cùm vireſcere & cùm tenellos ramos expandere folijsq; pubeſcere cœperit, æſtatis aduentum prænunciat; ſic illa, dum fieri conſpicerentur, regnum Dei, mundiq; finem in ianuis eſſe oſtenderent. Nemo igitur temeritatis neque præſumptionis eſſe iudicet, ſi, quod monet, vt ſecuritati & vitę noſtræ, dum licet, prouideamus, in medium adferatur. Non enim mei eſt propoſiti, ex ſanctis Prophetarum & Apoſtolorū ſcriptis, aliquod certum tempus iudicio futuro determinare, quod nec ipſis quidem Angelis conceſſum eſſe didicimus, ſed id agere intendo, vt meipſum imprimis tepeſcentem, languidum, ac in illis rebus, quæ Dei, meæq; ſalutis ſunt, nimis frigidum, deinde alios mei, in hac parte non diſsimiles, de graui terrenæ ſollicitudinis excitem ſomno: vtq; animos aut voluptatibus corporis deditos, aut curis ſæculi immerſos, aut peccatis obnoxios ad continētiam, ad ſobrietatem, & ad pœnitentiæ ſtudium, dum tēpus eſt, præmoneam. Sicut enim (teſte Chriſto) factum eſt in diebus Noë, ita Lucæ 17.

erit

erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias, vſque in diem qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes: Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plãtabant & ædificabant, qua die autẽ exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo & omnes perdidit: Secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. Quid igitur magis neceſſarium fuerit hoc infelici ac turbido noſtro ſæculo, quàm eos, qui extremum iudicij diem in ianuis eſſe proſpiciunt, totis viribus ad hoc incumbere, vt populum ſibi concreditum à peccatis abſtrahant; à vanitatibus ſumptibusq; ſuperfluis abducant; ab erroribus in veritate catholicæ fidei, aut defendant incautos, aut remiſſos verbo Dei ſtabiliant; ne fiat culpa paucorũ, pœna multorũ, dum hi qui præſunt, minus caſtigãt, minus increpant, quàm merentur, qui ſubſunt, dum delinquũt. Quod cùm ſemper fuerit faciendum Dei ſeruis, nunc multo magis debet, corruente iam mundo, & malorum infeſtantium turbinibus obſeſſo, vt qui cernimus cœpiſſe iam grauia, & ſcimus imminere grauiora, lucrum maximum computemus, ſi iſtinc velocius aliquantulam animarum meſſem congregauerimus. Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam ſui, non iam ſenectute rerum, ſed fine teſta-

Cyprianus. Serm. 4. de mortali.

testatur, & nos duces fidelium, curam nullam adhibebimus, vt Christianus adhuc populus à curis rerum labentium subtractus, à ruinis, & naufragijs, & plagis, & tribulationibus imminentibus securus aufugere possit? Si illorum corda intantum obtenebrata fuere, qui olim aut aquarum diluuio, aut incendio Sodomorum perierũt, propter necessarium humanæ vitæ studium, cui tamen impensius inhæsisse credendi sunt; vt nec salutis suæ rationem vllam habere, nec imminentem diuinæ iræ vindictam præuidere potuerunt: quid minus de Christianis cẽsendum est? si non sedulo admoneantur? si non reuocentur? quam quod nec pericula huius sæculi, ad occasum vergentis, inspicerent, nec animarum suarum detrimenta formidarent. Nam etsi vllum retrolapsum sæculum vel ederit, vel biberit, nupserit, emerit, vendiderit, plantauerit, ædificauerit, debito naturæ humanæ vsui, necessitatique seruiens, certè hoc præsens temporis curriculum, quo nos agitamur, nõ necessitatem, sed voluptatẽ: non vsum, sed luxum: non communitatis commodum, sed propriũ quærit. Quid enim in emptionibus, in venditionibus, aliud audimus, quàm dolos, & multiplices fraudium artes? quàm frequentem abiurandi, pessimamq; maledicendi consuetudinem? Denique in conuiuijs, in nuptijs, in plãtationibus, in ædificationibus quid cernimus

quæſo aliud, quàm carnis vbique diligentem curam? quàm luxum voluptatis fomitem? quàm animorum diſſolutionẽ? quàm faſtum mundi, hominumque gloriam? Num igitur quiſquam tam cæcus, ſuiq; oblitus eſſe queat, vt ex certiſsimis pręteritorum temporũ euentibus, pręſentia pericula videre, & futurorum malorum argumenta colligere non ſtudeat?
Geneſ. 6. Si Dei benignitas in mundi exordio, vindictæ diſtulit effectum, donec feruens peccandi ſtu-
Ibidem 18. dium, ad ſummum veniſſet impietatis gradũ, donec omnis caro eſſet corrupta; donec peccantium impænitẽtium clamor ad cælum vſque veniſſet, eorumq; peccatum aggrauatum eſſet nimis; certo nobis certius eſſe debet, quòd eius iuſtitia ineuitabilis, nequaquã hinc in longinquum, extremi iudicij examen dilatura ſit, quando iam eò ventum eſſe videmus, vt nec peccatorum multitudo creſcere, nec virtutum dignitas amplius decreſcere poſsit.
¶ Quis non videt hoc noſtro ſæculo impleri, quod Hoſee circa extremum iudicij diem fu-
Ozeæ 4. turum præuiderat, quando dixit: Audite verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non eſt enim veritas, & nõ eſt miſericordia, & non eſt ſciẽtia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Et
Mich. 7. quod per Micheam dicitur: Perijt ſanctus de

terra,

terra, & rectus in hominibus non est. Cùm autem sanctus perit de terra; perire debebit & mundus: quia sancti homines medulla sunt mundi. Sicut enim arbor, paulatim marcescẽdo siccatur, cùm in illa medulla deficit, aut sana non sit; sic & mundus præsens casurus est, cùm sancti homines in illo deficere cœperint. Esaias quoque dicit: Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc; luxit & defluxit terra, & infirmata est. Defluxit orbis & infirmata est altitudo populi terræ: & terra interfecta est ab habitatoribus suis; quia trãsgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabũt habitatores eius; ideoq; insanient cultores eius, & relinquentur homines pauci. An non ista omnia nostræ tempestati optimè conuenire videantur? Vnde enim horrenda hæc maledictio, quæ ab annis quadraginta nostrã terram cum incolis deuorat? Vnde sanguinis tanta effusio? vnde direptiones bonorum? ciuium intestinæ lites? vagi discursus mercatorũ? vnde prophanationes rerum sacrarum? violationes tẽplorum? monasteriorum excidia? nisi quia habitatores terræ transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Audiamus & Ieremiam: Attendi & auscultaui: nemo quod bonum est, loquitur;

Chrysost. Hom. 1. in oper. imperf.

Esaiæ 24.

Ierem. 8.

nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? Omnes cõuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prœlium. Et propterea est (teste Esaia) sicut populus, sic sacerdos: & sicut seruus, sic dominus eius: & sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sic ille, qui vẽdit: sicut fenerator, sic is, qui mutuum accipit. sicut qui repetit, sic qui debet. Quia à minimo vsque ad maximũ omnes auaritiam sequũtur: à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Et rursum Esaiam: Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimũ. Repleta est enim terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius. Iam non est dicere cum Apostolo: Omnes, quæ sua sunt, quærunt, sed: Nullus suis contentus est, omnes aliena, omnes illicita, omnes superflua quærunt. Vtinam cupiditati nostræ tam securè sinamus persuaderi quàm verè intelligit mentis ratio, quòd natura humana paucis queat esse contenta. Non vtique tot noctes duceremus insomnes: non tot inutiles animo curas premeremus: nec in tot tantisq; periculorum fluctibus, propriæq; vitæ iacturis, sine periculorum timore versaremur. Iam verò cùm ipsa insatiabilis habendi cupiditas, vacua semper exæstuet voracitate, omnia quæ corradit, etsi quàm plurima, tantum necessaria iudicat, nunquam credit esse

Esaiæ 24.
Ierem. 8.
Esaiæ 56.
Ibid. 2. cap.
Philip. 2.
et infra

esse superflua. Deinde, quod Christiano homini indignissimum merito videri deberet, tunc arctius in primis annis quæsita, pro longioris vitæ solatio, subsidioq; recondere incipimus, quando & communis necessitas moriendi quotidianum cogit expectare discessum, & viscerum debilitas multam victus alimoniam non admittit. O stolidam insipientiã, ô mores ethnicos & sæculum plusquam barbaricum! Soláne fidei professione, absque vitę Iesu imitatione, saluos nos fore putabimus? Vt quid ille pauper, sobrius, humilis, & ab omni temporalis studij sollicitudine expers vixit, si non tàm virtutis fructus, quàm fidei cultus ad vitam obtinendam necessarius fuit? Fallimur reuera, fallimur, de titulo nominis tantùm, fideiq; dono gloriantes; qui Christi pauperiem gloriosam, turpissima nostræ cupiditatis ingluuie abnegare nõ erubescimus. Sed quid nos post hæc futurũ, quid subsecuturũ putamus? Nihil profecto aliud, quàm quod de originali mundo & Sodomis scriptum legimus: Posteaquam vidisset Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: & quòd omnis caro corrupisset viam suam super terram; misso diluuio, omnibus peccatoribus finem imposuit. Et Sodomitas homines pessimos, & peccatores coram Domino nimis, vltio diuina, cælesti incendio perdidit

Genes. 6.

Ibidem. 19.

Ezech. 16. & deuorauit, propter superbiam eorum, saturitatem panis, abundantiam, otium, & quia
2. Petr. 2. de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabāt, & quia manum egeno & pauperi non porrigebant, sed faciebant abomi-
Ezech. 16. nationes, quarum clamor multiplicatus ad
Genes. 19. cælum vsq; ascendebat, testante Deo: Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere cōpleuerint, an nō est ita, vt sciam. Quid? an vindictam Dei, qui non modò eisdē delictis, sed etiam grauioribus iram ipsius meruimus; nos euasuros putabimus? Certè non euademus: nam hæc (secundum Com-
1. Corint. 10. mentarium qui Ambrosio ascribitur) *ideo facta noscuntur circa retributionem illorum, vt nobis essent exēplo, qui postremo sæculo futuri eramus in fide Christi. Pro vtilitate enim nostra gesta sunt, vt si terrore horum in Dei timore manserimus, gloriam illis promissam accipiamus: si quo minus, geminabitur nobis pœna illorum, quia maior notitia legis plus facit reum. Non est enim ambiguum, illos peccantes plus subijciendos tormentis, quibus peccantium pœnæ ad hoc relatæ sunt, ne peccarent.* Magnum quidem diuinæ pietatis indicium fuit, quod
Genes. 6. centum annis præconem Noë mundo perituro Deus præmisit, cui ingentem illam arcæ molem, in futuræ punitionis testimonium, fabricandam mādauit: quod iustum Abraham,
Ibid. 18. 19. eiusq; cognatum Loth tanquam fideiussores pro Sodomitis ad intercedendum pro ipsis, ne punirentur, & benignè excitauit, & patiē-

ter

ter audiuit. Sed multò præclarius est, & splendidiùs illud relucet inter omnes thesauros diuinæ miserationis, quòd in nouissimis diebus mūdo declinante, vnigenitum filium pater misit, qui non tam peccata redarguit prædicando, quàm sanctissimè viuendo, virtutes nobis commendauit: non tam deterruit peccatores à pœnis, quàm inuitauit ad gloriam. In hunc nec Sodoma per fidem credidit, nec per miracula priuata, antiquus mūdus ipsum cognouit. Nos verò quid fecerit in terris, quomodo vixerit, audimus; quid docuerit, legimus; ad miracula ab ipso facta, obstupescimus; longanimitatem ipsius, patientiam & plenitudinem charitatis admiramur, in altero adorantes diuinitatis potentiam, in altero humanæ carnis agnoscentes naturam. Plura ergo nobis, quàm illis, beneficia præstita sunt. Sed quid dicit scriptura? Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Vnde & Grego. *Cùm augentur*, inquit, *dona; crescunt etiam donorum rationes*. Cum ergo amplioribus nos quàm illi, beneficijs à Deo affecti simus; magis propensi esse tenebamur ad gratias agendas benefactori, & redemptori nostro, ne aut ingratitudinis argueremur, velut Corozaim & Bethsaida; aut de superbia, sicut Capharnaū, condemnaremur. Non solùm enim illi de salute sua periclitantur, qui necdum credunt,

Hebr. 1.

Matth. 11.

Lucæ 12.

Gregorius.

Matth. 11.

aut qui postquam semel crediderint, iterum excidunt, sed etiam qui sub Euangelij fideiq; priuilegio, minus Euágelicè, minusque Christianè viuunt. In tantum ergo de vita æterna periclitamur omnes, quantũ aut malè viuendo, de nominis nostri professione deficimus, aut peruersè iterum credendo, imbibitam semel fidem abnegamus. *Cùm peior vtique sit* (teste Augustino) *desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non, deseruit quam nunquam tenuit.* Multum enim interest, vt dicit Chrysost. *inter illos qui in ignorantia sunt, & in ignorantia perierunt, & inter istos, qui in veritate quidem nati sunt, propter aliquid autem mundiale, scientes ad mendacia transierunt & perierunt in eis. Leuior enim culpa est, veritatem non apprehendere, quàm contemnere apprehensam.* Sicut ergo, ea ratione Sodomæ & Gomorrhæ remissius erit in die iudicij, quàm Iudęis, quòd priuatim nullas Christi viderunt virtutes, quas si vidissent; vtique in cilicio & cinere pœnitentiam egissent, & in hunc vsque diem fortè permansissent; sic & Iudæis tanto tunc remissius erit, quàm Christianis, quanto & rariora in alijs diuinæ vltionis facta exempla, & obscuriora scripturarũ data testimonia acceperunt. Illi velatum habebant Moysen & Prophetas, qui per omne sabbatum legebantur, & non intelligebãtur: nos verò magnum pietatis in Christo Dei filio agnouimus sacramentum, quòd manifestatũ est in carne, iustificatum

Augustin. de ciuitat. Dei lib. 21. ca. 25.

Chrysost. Homi. 49. in ope. imperf.

Matth. 11.

1. Timo. 3.

ficatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatũ est gẽtibus, creditũ est in mundo, assumptũ est in gloria. Illi legis suæ & Patrũ traditiones volẽtes obseruare, Messiã suum repudiarunt: & nos Patrũ decretis stare nolentes, Christũ contẽnimus, ipso dicẽte: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Sed quid dicit Apostolus? Si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Audis Christiane? Fractus est Iudęus, vt tu insereris. Oleaster eras, & insertus es in oliuã, socius radicis & pinguedinis eius factus. Sed si in bonitate non permanseris, excidêris & tu, nec magis tibi parcet Deus, qui contra naturam in bonam oliuam insertus es, quàm naturalibus ramis, quibus dictũ fuit: Omnis plantatio quam nõ plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Et, Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius. Et rursum: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Sicut ergo à Iudæis fractis & eradicatis, verbumq; Dei repellentibus, ablatum fuit regnũ Dei, & nobis datum; sic nunc & à Christianis, qui miserè hæreticorum tentationibus frangũtur: mutuis dissidijs dissipantur: varijsque erroribus eradicantur, aufertur Euangelium & regnum Dei, & datur populo Indico facienti fructum eius. Nec tamẽ propterea ruit Ecclesia, etsi sedes eius mutetur: nec religio perit, etiamsi regnum Dei vnà cum Euangelio

Lucæ 16.
Ad Rom. 11.
Matth. 15.
Matth. 21.
Ibid. 23.
Act. 13.

ad aliam gentem transferatur. *Vbicunque enim* (teste Augustino) *timetur Deus, & laudatur; ibi est Ecclesia Christi.* Denique & ibi ecclesia Dei est, vbi Christi fides est. *Vbi ergo fides est*, inquit Ambrosius; *ibi sacramentum, ibi diuersorium sanctitatis est.* Et de catholica Ecclesia quæ sola verum retinet cultum, ait Lactantius: *Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei. Quod si quis*, inquit, *non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit; à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.* Licet igitur transferatur regnum Dei, licet etiã Ecclesiæ sedes tandem mutetur; licet fons veritatis, fideiq; domicilium, nec non & templum Dei, alijs gentibus aperiantur; non hoc infirmitatem fidei, sed nostram ingratitudinem arguit: Christi promissionem non soluit, qua Ecclesiæ pastori dicitur: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam: sed illius gratuitam misericordiam indicat erga eos, qui necdum crediderant, apud quos sine vlla alia fidei transmigratione, omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi futurus est. Quam fœlix ergo gentium Indicarum populus, qui hanc gratiæ inuenit prærogatiuam, diuina sic dispensante misericordia, vt sicut ex multis temporibus suspensus fuit à lumine veritatis; sic nunc stabilis in fidei limine, de spe vitæ æternæ securus fieri mereatur. Hinc est illud quod per Esaiam Dominus prophetauit. Sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio stare

Augustinus. Tract. 2. in Psal. 21.
Ambrosius. In 17. cap. super Lucam.
Lactantius li. 4. cap. 30. in fine.
Matth. 16.
Esaiæ 66.

coram

coram me; sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. Semen, inquit, iustitiæ vestræ, stabit, durabit, permanebit, immobile, inuariabile, perenne. Quales vos recenter conuersos inuenio, & illumino; tales iudicabo mortuos, tales vos iterum viuos remunerabo. Nulla cadet in vitam vestram, in peiorem partẽ mutatio. Augeri poterunt merita vestra, non minui. Addamus & illud: Et erit mensis ex mensæ, sabbatum ex sabbato. Necdum enim, inquit, solennitates calendarum vestrarum, & sabbatorum, iuxta ritum Israelis impleueritis, & ego mercedem vobis nouissimis primus, & primis nouissimus redditurus aduentiam. Hoc itaque præstabo vobis, vt de gaudio ad gaudium, de festiuitate ad festiuitatẽ, de pace ad pacem, de sabbato ad sabbatismum perpetuum perueniatis.

HACTENVS quasi summam quorũdam argumẽtorum, quæ in his duobus tractantur libris, breui sermone perstrinximus: nũc quæ de laboris nostri ratione dicenda sunt; attingamus. Cùm ante annos quinq; mecum animaduerterem pleraque signa impleri, etsi nõ omnia, quæ iudicij diem è vicino præcursura ostensa sunt, operæpretium me facturum putaui, si, quæ humana coniectura de illis signis ex Prophetarum & Apostolorũ sumptis scriptis, capere possem; in fasciculũ colligerem, & literis commendarem. Tunc nihil, aut parum

cogita-

cogitabam, quod in ædificationem Ecclesiæ Christi, prœlo aliquando committeretur, quod collecturus eram: sed prima studij mei intentio fuit, vt in laboribus curæ pastoralis in humeros meos impositis, hoc haberem solatij & confortationis, quòd, testãtibus signis, citò sperarẽ venturũ iudicem, qui reformaret corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. (Philip. 3.) Cùm enim toties hac tempestate, diceretur: Ecce in Germania est Christus; ecce in Anglia, ecce in Scotia, ecce in Gallia, ecce nunc in Brabantia, ecce in deserto, ecce in penetralibus: ecce hic, ecce illic est Christus: (Matth. 24.) & quotidie audiretur, quòd gens surgeret contra gentem: regnum aduersus regnum: domus contra domum: officina cõtra officinam: thorus contra thorum: quòd diuideretur pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum, & nurus in socrum suã; (Lucæ 12.) quòd frater traderet fratrem in mortem, & pater filium, & insurgerent filij in parẽtes; (Matth. 24. Daniel. 8.) quòd iniquitas abundaret, & charitas refrigesceret; quòd iugis sacrificij oblatio, *& liturgiæ passim extinctio fieret*; (Hypolitus. Matth. 24.) quòd demum Euangelium prædicaretur in vniuerso orbe, in testimoniũ omnibus & postremis gẽtibus: quid quæso aliud deinceps expectare debuimus, quàm aduentum Iudicis, & sæculi finem? Si enim Chrysostomus suo tempore dixit: *Non longè à fine ab-* (Chryso. Homil. 33. in 4. cap. Ioannis.)

sumus

sumus, sed iam mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat: Quemadmodum enim corpus, iam aduentante morte, innumeris malis afficitur, & domus prope casum, in ruinas satiscit; ita orbis terrarum ad finem properans, tantis vndique malis conteritur; quanto magis nos idipsum dicere possumus, qui tantum ad finem accessum fecimus, qui nihil eorum, quę vel à Christo, vel ab Apostolis eius prædicta sunt, restare videmus, nisi Antichristi aduentum, ac, quæ 2.Thess. 2.
deinde subsecutura sunt statim, signa in sole & luna, & stellis, & in terra pressuram gentiũ Lucæ 21.
præ confusione sonitus maris & fluctuũ. Scriptum igitur tunc temporis, rudi quodã modo & sine ipsa, quæ nunc est, capitum distinctione, opusculum, de PROBABILI CERTIFICATIONE INSTANTIS IVDICII, tradiderã; qua, nescio, ratione inductus, amico cuidam, viro & doctrina & pietate celebri perlegendum. Qui cùm sibi nõ displicere videret materiam, me inconsulto, semel atque iterum exscribi fecit. Quod vbi comperi, dolui, quia tunc adhuc crassius & incultius erat opus, quàm quod illam honoris prærogatiuam mereretur. Rogaui proinde eum, vt redderet, non solùm quod acceperat, sed etiã exemplaria duo, quæ exscribi fecerat, promittens me castigaturum omnia, & singula quæq; meliori ordine digesturum. Annuit, vt par erat, petitioni meæ, hac tamen conditione, vt velocius

velocius inceptum perficerem, & promissum meum seruarem. Prius tamen, quàm istuc facerem, vt, quod verum est, fatear, ab incœpto me reuocabat frequenter, non tam laboris, aut materiæ difficultas, quàm pudor quidam humanus. Cùm enim viderem, quòd ex omni loco; vt horum temporum extrema fert necessitas; doctissimorum virorum, cuiuslibet generis scripta, in lucem prodirent, quibus nec eloquentiæ vis deerat, nec doctrinæ fœcunditas, nec, quæ non parum nunc spectantur in scriptoribus, dictionis splendor & maiestas; verebar ego, ne fœtura mea præcoci, si æderetur, confunderer; aut ne caneret anser inter olores. Sed ex altera rursum parte instigabar, quòd tempora nostra videbam periculosissima, & rerum omnium mutationes, nihil aliud; nisi mundi finem testari: & hoc omnes ferè pios & doctos dicere. Resumpto igitur animo, & pudoris mei vitio superato, ad Christi gloriam, & in ædificationem Ecclesiæ suæ: illam, quam potui, tempore tam angusto & calamitoso, supremam manũ, & colophonem præsenti opusculo addidi: sed an vtiliter, aut etiam fœliciter, aliorum esto iudicium. Vnum hoc testari cogor lectori, me nusquam, quod sciam, vllum proferre argumentum, in hac certificatione appropinquantis iudicij, quod non, aut à scripturis, aut exẽplis, aut rationibus, aut à præsenti rerum experien-

perientia, sit petitum: licet non eo ordine, & modo id fecerim, quem fortè docti & exercitati hominis requiret, in hoc dicendi genere, cupiditas. Proponuntur tamen nonnulla à Christianis auribus, quod sciam, necdum audita, quorum hic necessario, & libenter quidem rationem dicerem, si non passim, in ipso orationis cursu, vbi materia id exegit, esset factum. Omnia igitur & singula hæc mea dicta & scripta, ita Ecclesiæ Christi, & Doctorum, piorumq; virorum cẽsuris submitto, vt quicquid ipsi reiecerint, culpauerint, reprobauerint; reijciam, culpem, reprobem & ego. si quid verò admiratione, aut laude dignum inuenerint (quod, an inuenient, nescio) hoc totum Christo, eiusq; gratiæ tribuant, cantantes cum Psalmista, & mecum dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nunc, ne lectorem nimis lõga præfatione defatigẽ; res ipsa, quam tractandam suscepi, proponatur. Psal. 113.

ARGVMENTA CAPITVM PRIMI LIBRI.

CAP. 1. VT RES noui testamenti, sic & tempora sunt præfigurata: ex quo probatur, tempus ante diluuium figuram esse posse temporis Euangelicæ legis.

2. OCCVRRITVR obiectioni, & latiori testimonio prædicta confirmatur probatio.

3. TEMPVS gratiæ abbreuiandum est, & ob id ex figura sciri non potest, quãdo Iudicium sit futurum.

4. QVOMODO sit intelligendum quòd dies abbreuiabuntur, & quare à Christo dictum sit Apostolis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta &c.

5. DANIELIS prophetia de septuaginta hebdomadibus abbreuiatis discutitur, & quid ista abbreuiatio sit, & quare facta sit, declaratur.

6. SOLVTIO obiectionis, in qua probatur præsciẽtiam Dei necessitatem non imponere rerum euentibus, sed multa dependere ex hominum voluntate, & secundarijs causis.

7. PECCATVM, causa incarnationis filij Dei fuit, quòd quo magis multiplicabatur & crescebat, eo amplius Christi aduentus accelerare debebat.

8. RATIO mysterij de septuaginta abbreuiatis hebdomadibus declaratur.

9. DVPLICI ratione potest abbreuiari tempus Iudicio constitutum, tum orationibus sanctorum, tum multiplici hominum malicia.

10. PROTESTATIO & oratio authoris.

11. PRAEDICATIO euangelij in omnes & postremas gentes, consummationis sæculi indubitata certificatio est.

12. POPVLVS Indicus postremus est ad fidẽ Christi conuertendus, & hoc probatur ex Euangelio.

13. IDEM & hic probatur: ex quo dies Iudicij instare colligitur.

14 PRAE-

PRAEDICTIS non repugnat quod per Heliam Iudæi prius conuerti debeant, quorum velox & breuis conuersio erit. 14.

TRIPLEX fidelium ordo in Ecclesijs futurus, ex Euangelio probatur, quorum vltimi sunt Indi. 15.

EX ALTERA scriptura trifarius etiam credentiũ ordo ostenditur. 16.

IDEM quoque ex Zacharia declaratur. 17.

ALIQVOT scripturæ explicantur in eandem ferè currentis mysterij rationem. 18.

ECCLESIA debet multa pati, secundum scripturas, sicut & Christus passus est. 19.

NVNC est tertia die peregrinationis Ecclesiæ, in qua illud Christi dictum impletur: Et tertia die consummor. 20.

SCRIPTVRIS probatur & exemplis extremum diem instare. 21.

QVID in extremo die futurum sit. 22.

ARGVMENTA CAP. SECVNDI LIBRI.

SCRIPTVRA profertur ab Esaia, quæ ostendit populum Indicum fore postremũ ad fidem Christi conuertendum. CAP. 1.

PROBATVR, quod Antipodes sint. 2.

EXPERIENTIA rerum in progressu Ecclesiæ multum valet. 3.

RATIONES adferũtur quare prędicta prophetia de populo Indico intelligenda dicatur. 4.

CONFIRMATIO prædictorum ex scripturis sumpta. 5.

DE commendatione Ordinis Societatis Ihesu; & quare qui ad Indos missi sunt, Angeli vocentur. 6.

QVARE Iudęi per vniuersum orbem dispersi sint. 7.

QVOMODO & quãdo Iudæi primũ in Indiã venerunt, & quod modo in patriã suã reuerti dicantur. 8.

9. INDI operarij ſunt hora vndecima in vineã miſſi, & à Luthero vltima cœpit Eccleſiæ ætas.

10. PONITVR ſolutio obiectionis ex illo Ioãnis dicto: Filioli nouiſsima hora eſt: deinde, quòd Iudicium ſemper expectare & formidare, neceſſarium ſit, oſtenditur.

11. CHRISTVS in penultima Eccleſię ſuę venit ætate, non in vltima, & hoc ſcripturis declaratur.

12. CONFIRMATIO prædictæ opinionis deſumpta ex ſcripturis.

13. ALTERA probabilis cõfirmatio, pro eâdem opinione, ex tempore mortis & vitæ Chriſti petita.

14. QVAEDAM nunc euidenti rerum manifeſtantur notitia, quæ etiam ſanctiſsimis Eccleſiæ doctoribus occultata fuerunt.

15. RATIO redditur cur à Luthero vltima Eccleſiæ ætas incœpiſſe dicatur.

16. LVTHERI prædicatio quid effecerit in Eccleſia, & quales oporteat eſſe Chriſtianos, oſtenditur.

17. CHRISTIANI quid rependant Chriſto, & Lutheri ſtudium quale fuerit.

18. PROBATVR Iudicium inſtare, tum Apoſtoli ad Theſſalon. ſcripto, tum Hieroſolymorum Archiepiſcopi Cyrilli teſtimonio.

19. CONFIRMATIO ſumitur ab authoritate Paulinæ ſententiæ, & à mirabili quadam humanarum rerum mutatione.

20. DANIELIS prophetia nunc impletur, quæ dicit, quòd pertranſibũt plurimi, & multiplex erit ſcientia, & qui ſint Chriſti aduentum expectantes & deſiderantes, oſtenditur.

21. IVDICII extremi horror & ex ſcripturis manifeſtatur.

22. EXHORTATIO ad pietatem & ad animi vigilantiam.

VT RE

DE EXTREMO DEI IVDICIO, ET INDORVM VOCATIONE, LIBER PRIMVS.

Vt res noui testamenti, ita & tempora sunt præfigurata, ex quo probatur tempus ante diluuium figuram esse posse temporis Euangelicæ legis. CAP. I.

SICVT quarundam rerum exitus in veteri Testamento, earũ rerum figuras gessit, quæ sub nouo Testamento factæ sunt: veluti est Christi venditio, quę in venditione Ioseph: Christi crucifixio, quæ in serpentis ænei exaltatione: Christi sepultura & resurrectio, quę in deglutitione Ionæ prophetę, eiusdemque eiectione è ventre ceti, longè antè præfiguratæ sunt: sic quoque tempora quædã veteris Testamenti, quorundam aliorum temporum figurã prætulerunt, quæ sub nouo Testamento elapsa sunt. Quod vt notum magis fiat, & lucidum, quædam scripturarum loca in medium proferamus. Decima quarta die mensis, sicut Exod. 12. legimus, secundũ Domini præceptum, agnus paschalis immolari consueuerat; qui figuram salutaris nostri agni innocentis, immaculatiq; gessit: in cuius immaculatione non solùm figura rei gerẽdæ, sed & illius temporis mystica significatio præcessit, quo res ipsa antè figurata, postmodũ consummata fuit. Nam quemadmodũ agnus pa-

Matth. 20. Genes. 37. Numer. 21. Ione 1. Exod. 12. 1. Corint. 5.

ſchalis omni anno, ſic Chriſtus ſemel immolatus eſt, in qua immolatione figura rei cópleta fuit. In hoc autē figura temporis præceſsit, quod nō caſu, nō fortituito, nō quando Iudas venditor proditorq́;, non quando Iudæi emptores, peremptoresq́; voluerunt, ad mortem ſit deſtinatus, ſiue ad immolandū intra vincula cōcluſus, ſed decima quarta mēſis, hoc eſt, eadem illa die, qua agnus paſchalis immolari conſueuerat. Rurſum dum Chriſtus in euangelio Ionam prophetam, in ſui figurā introducit, nō ſimpliciter, vt res geſta eſt in veteri Teſtamento, hiſtoriam narrat, ſed certum etiā dierum ſpatium exprimit, velut figuram illius temporis, quo poſt mortem ſanctiſsimum ſuum corpus in ſepulchro ponendum, reuicturumq́; quieſceret. Dicit enim apud Matth. Sicut fuit Ionas in vētre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.

Matth. 12.

SIMILITER vbi Moyſen ante legem, Heliam ſub lege ieiunaſſe legimus, ſine alicuius vel cibi vel potus adminiculo, ibi Chriſti ieiunium eos præfiguraſſe aſſeueramus, qui itidem ſine vllo cibo & potu, per ſpaciū dierum quadraginta, in deſerto vixit. Sed cū nec pauciores nec etiam plures dies ieiunando compleuerit, quàm vel Moyſes, vel Helias; ibi oſtēdit ſe non ſolùm figuram rei geſtæ, ſed & pręfigurati temporis ęquam portionē obſeruare.

Ex

Ex his itaque ſcripturæ teſtimonijs oſtēdi poteſt, ſicut cum figuris veteris teſtamenti, res præfiguratæ accuratiſsimè ſub Euangelio cō-ueniunt, quòd ita quoque quorundam temporum præfigurata diuturnitas, cum diuturnitate temporis prę̨figurantis, in veteri Teſtamento concordet. Vt igitur prædictarum ſcripturarum authoritas noſtro poſsit ſeruire propoſito, adducemus & alteram ſcripturam, ex qua, veriſimiliter credimus probari poſſe, quod non ſolùm res gerenda ſub extremo iudicio, in typo figuræ præoſtenſa ſit, ſed quod etiam ipſa temporis, quod nunc ſub gratia labitur, diuturnitas præfigurata præceſſerit. Sic itaque apud S. Matth. legimus: Sicut autē in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis. Super quæ verba ſic dicit Origines: *Puto, quod illud diluuium, quo penè finis tunc datus eſt mundo, formam teneat finis illius, qui vere futurus eſt mundi. Quod & ipſe Dominus pronunciauit, dicens: Sicut enim in diebus Noë emebant & vendebant, ædificabant, nubebant, & nuptui tradebant, & venit diluuium, & perdidit omnes; ita erit & aduentus filij hominis. In quo* (inquit) *euidenter vna eadémque forma diluuij, quæ præceſsit, & finis mundi, quem venturum* Homil. 2. in Geneſim.

 dicit,

dicit, deſignatur. Cum ergo ex illis Scripturis de Agno, Iona, Moyſe & Helia, ſuprà poſitis conſtare videmus, quod ſub vno verborum inuolucro, duæ ſimul figuræ in myſterium futurorum concurrant, rerum ſcilicet & temporum, verendum eſt, & quidem plurimum, ne & hic in Chriſti verbis aduentum iudicij præoſtendentibus, ſub rei figura pariter compræhenſa ſit, & occultata ſimilis figura temporis; vt ſicut comedere, bibere, nubere, nuptui tradere, in factorum ſiue ſtudiorum noſtrorum figura contigiſſe probatum eſt, ita quoque æqualis annorum numerus, ſub gratiæ tempore, futurus credatur vſque ad extremum iudicium, cum eo annorũ ſpatio, quod à condito mundo vſque ad diluuium fluxit.

Occurritur obiectioni, & latiori teſtimonio prædicta confirmatur probatio. CAP. II.

AT dices mihi: Definire occulta, temerarium; futura prædicere, incertum eſt. Nõ ſum ego videns, non propheta, qui lõginqua videre; qui futura prædicere poſſim: non Philoſophus, qui occulta Dei definire præſumã. Sed vt rebus præteritis præſens experientia certam fidem facit, ſic de futuris contingentibus, ea quæ præterita ſunt, probabilem quidem, licet incertam, opinionẽ mihi ingerunt, ita vt eo liberius aliquid de futuris conijcere audeam, quo illa minus videbantur aperta,

aut

aut significatiua mysteriorum, quæ olim præterita sunt. Vnde & illas ego, ex scripturis sanctis, res quondam gestas propono, quæ tunc primum doctissimis Patribus, ac maioribus nostris, mysterium futurorum præfigurasse ostensæ sunt, quando ipsa præfiguratæ veritatis præsentia, figurarum vmbrã discussit, fractoque cortice sacramentorum veterum, medullam nobis nouorum Sacramentorum excribrauit. Vide an non istud concordet cum eo, quod vetustissimus Irenæus scripsit. *Omnis*, inquit, *prophetia priusquam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cum autem veniret tempus, & euenit, quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam, & certam expositionem.* Et post illum B. Ambrosius: *Finis*, inquit, *legis est Christus, & mors eius soluit ænigmata prophetarum, eáque, quæ antè Iudæis erant incognita, cum prophetarentur, postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectu.* Et B. August. dicit, *quod rerum effectu in posteris consecuto, quæ operta fuerunt, satis aperta sunt.* Quod Irenæus & Ambrosius de prophetijs sentiunt, hoc Augustinus de figuris intelligit, sicut & nos asseuerare intendimus; vt vel ideo discamus eorum præscientiam expiscari, quæ adhuc præ manibus, & futura sunt, quod iam olim præterita, in rerum effectu in posteris consecuto, aperta facta, & liquidam certamque expositionem habentia, occasionem nobis præbeãt similem effectum & expositioné in similibus

Irenæus. li. 4. contra hære. cap. 43.

Ambros. in Psal. 43.

August. li. 16. de ciuit. ca. 2.

Ambrof. in Pfal.43. excogitandi. *Typus enim & figura*, teste Ambrosio, *nobis sunt gesta maiorum: Euangelium quasi lumen & signaculum veritatis.*

QVIS, quæso, putasset, ante passum Christum, agnum paschalem illius figuram præferre? quis, quod eodem mense, eodemq; mensis die, quo mysticus agnus mactari cõsueuerat, innocẽtissimus ille Dei agnus occidendus esset, credere potuisset? Sic nec deglutionẽ Ionæ prophetæ, mortẽ Christi: vẽtrem piscis, petram sepulchri: spaciũ illius tridui, quietẽ alterius tridui, quo dominicũ corpus in sepulchro positum delitescebat, præfigurasse innotuit, nisi postquam ipsemet, de quo figuræ præcesserãt, Sacramentorum mysterium, aut verbis aperire dignatus fuit, aut factis declarare. Quandoquidem ergo ex supradictis scripturæ locis, certum esse videmus, quòd sub vno verborum inuolucro, duæ simul figuræ rerum & temporum concurrãt, quid obstat? cur probabili coniectura duci, aut verisimili ratione suspicari nõ possimus, quin & in Christi verbis de aduentu iudicij habitis, cum facti figura includatur simul & figura temporis; vt scilicet æquali, aut circiter durationis spacio, & lex naturæ in diluuio, & lex gratiæ in iudicio determinentur.

DENIQVE & illud addi potest tanquam firmius coniecturæ fundamentum, quod iam quàm proximè accedamus, in annorum numero,

mero, ſub tempore gratiæ, ad illam annorum diuturnitatem, quæ à mundi exordio, vſque ad diluuium fuit. Sed neſcio an veriſimile ſit, licet accedamus, quod excedemus, quandoquidem tunc, vt ego opinor, neceſſarium fuerit, totum denuo renouari mundum, & exuberantia delictorum flumina, aut hiatu terræ abſorberi, aut incendio exiccari. Si enim annis ab hinc triginta, aut quadraginta ſic malorum ſentina exundauit, vt deinceps pax, iuſtitia, timor, pietas, fides, religio, ſacerque Dei ac ſanctorum cultus, à Chriſtianorum procul negotijs, domibus, templis, cordibus exulare, videantur, quid eſſet, quæſo, futurum, ſi acceſſu centum, aut ducentorum annorum mundi finis prolongetur? & ſuſpenſo rerum interitu, temporumq; dilatione, altiores mala præſentia radices agere permittantur? Non enim ſpes effulget emendæ, ſed maioris corruptelæ formidinem ſuggerit ipſa temporum, ſemper in peius mutatio. Neſcio enim, an vſpiam vel ſcripturæ oſtendant, vel hiſtoriæ referant, quod generatio poſterior in morum vitæque probitate vicerit anteriorem, verum ipſa dierum malitia docet nos, quod filij quotidie progenitoribus nequiores efficiantur. *Augetur enim*, inquit Ambroſius, *& cumulatur ipſo vſu malicia, & eſt ſine moderatione, ſine fine. Circuit, ſænit, ſeſeque infundit, non mundano illo merſa diluuio, non Sodomitano exuſta incendio.* Certè latere non Ambroſ. lib. de fuga ſęcu. cap. 7.

 poteſt

potest quid de nostris temporibus, ante annos mille ducentos quadraginta. Lactantius Firmianus prophetando potius quàm opinándo scripserit: *Propinquante, inquit, huius sæculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, & in deterius nequitia inualescente prolabi: vt iam nostra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia vsque ad summum gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, fœlicia, & prope aurea possint iudicari. Ita enim iustitia rarescit: ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrescet, vt si qui tum forte fuerunt boni, prædæ sint sceleratis, aut diuexentur vndique ab iniustis: soli autem mali opulenti sint: boni verò in omnibus contumelijs, atque in egestate iactentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tunc quispiam habebit, nisi aut quæsitum, aut defensum male: audacia, & vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit. Atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies à malis vlla. Nemo pietatem parentibus exhibebit: Nemo infantis, aut senis miserebitur. Erunt cædes, & sanguinis effusiones: Erunt bella non modo externa & finitima, verumetiam intestina. Ciuitates inter se belligerabunt. Omnis sexus & omnis ætas arma tractabũt. Non imperij dignitas conseruabitur. Non militiæ disciplina, sed more latrocinij deprædatio, & vastatio fiet. Cuius vastitatis & confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur. ac rursus oriens dominabitur, atq; occidens seruiet. Id erit tempus, quo iustitia*

Lib. de diuino præmio, cap. 7.

stitia projicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hostiliter prædabuntur: non lex, aut ordo, aut militiæ disciplina seruabitur, non canos quisquam reuerebitur; non officium pietatis agnoscet; non sexus aut infantiæ miserebitur. Confundentur omnia & miscebuntur contra fas, contra iura naturæ. Ita quasi vno communi, graniq; latrocinio terra vniuersa vastabitur. Ibid.cap.17.

QVIS autem hæc omnia nostra ætate aut facta dubitat, aut ignorat? Quis maiora vel fidei, vel religionis, vel pudicitiæ naufragia expectabit, quàm quę à vicinis ciuitatibus & regnis audimus? quis grauiora, quàm quæ priuatim intra nostros parietes experimur? Si tunc, quando Lactantius vixit, vsque ad summum gradum, malitia creuit, in quo nostræ ætatis vestigia, nisi in extremo puncto pendere existimanda sunt? Ergo prope ruinam est mundus, qui ob immensa quorundam scelera, præcipitium cunctis minatur. Semel baptismo quodam diluuij, à sordibus expiatus, antiqui vigoris recuperauit vires, & ex casto semine in immensum dilatari cœpit. Sed cùm denuo malorum sarcina grauatum deficere eum oporteat, non purgandus tantum, sed & casurus est: periturus sed non rediturus. Grauabit enim eum iniquitas sua, vt Esaias dicit: & corruet, & non adijciet vt resurgat. *Cohibeamus igitur dilectissimi*, dicit Chrysostomus, *affectus nostros, exerceamur in* Dei *timore, etenim nobis licentia perditis, nihil tale expectantibus ex improuiso* Dei *aduen-* Chryso. Homil. 33. super Ioannem.

tus

tus aderit. Quando putas vir sancte? quando Chrysostome aduentum magni Dei futurum existimas? Audi. *Est quidem, inquit, res ipsa prorsus ambigua, & omnino nescimus, an etiam nostra ætate hæc omnia finiantur, & dies ille metuendus adueniat, atque horribile illud nobis ostendatur tribunal. Nam & signa prorsus multa impleta sunt, & Euangelium toto iam fere orbe personuit: & prælia & terrarum tremores & fames, vt prædictum fuerat, acciderunt, nec grande iam medium est.* Vides quid Chrysostomus de vicinitate iudicij scripserit? vides quid senserit? Quamuis verò satis prolixum, inter ipsius, & nostram ætatem, intercesserit medium, nõ tamen falsus est, dum non grande futurum existimauit, quod piè opinando, non determinando dixit. Paruum erat, respectu æternitatis, medium, ab illo, quo ipse viuebat tempore, ad finem mundi: sed nemo nescit, quin à nostro minus erit. Vnde & B. inquirit August. *Quod autem de signis Euangelicis & propheticis, quæ fieri cernimus, propinquum Domini aduentum sperare debeamus, quis negat? Quotidie quippe magis magisq; fit proximus. Vide quãdo dixit Apost. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Ecce quot anni transierunt, nec tamen quod dixit, falsum est. Quantomagis nunc dicendum est, propinquare Domini aduentum, quando tantus est ad finem factus accessus? Cum sciamus, in nouissimis temporibus, in nouissimis diebus, in nouissima hora nos agere, sicut Apostoli: sed multò magis qui fuerũt, post illos,* anti-

Chryso. Homil. 21. super Matth.

August. epist. 80. ad Hesichium.

Roma. 13.

Augustinus. Ibidem aliquanto post.

ante nos : & multo magis nos : & magis, quàm nos, qui erunt post nos : donec ad illos veniatur, qui erunt, si dici potest, nouißimorum nouißimi. Hactenus Augusti. Qua de re, vt consequenter ea, quæ necessaria & scitu vtilia sunt, prælibare poßimus, gratiæ suæ instillationem donare dignetur, qui omnibus sapientiam dat affluenter, & non improperat. Iacob. 1.

Tempus gratiæ abbreuiandum est, & ob id ex figura sciri non potest, quando Iudicium sit futurum.

CAP. III.

ANNI autem ab Adam condito, vsque ad diluuium, secundum Hebraicum textum, quem nunc tota Latinorum schola sequitur, computantur mille sexcēti, quinquaginta sex. Verum, secundum Septuaginta, quorum authoritati veteres plerique innixi sunt, numerantur multo plures, testante Augusti. qui dicit: *Ex Adam, vsque ad diluuium computantur anni, secundum codices nostros, duo milia ducēti sexaginta duo.* August. li. 15. de ciuit. Dei ca. 20. Sed à Christo nato, vsque in præsens tempus, habemus spacium annorum mille quingentorum sexaginta vnius. Si itaque tempus legis naturæ ante diluuium, secundum Hebraicam veritatem, figuram fuisse credendum est, temporis gratiæ, & euangelicæ legis : nec obstet authoritas interpretum septuaginta, quorum æditionem, hic deuiasse, dicit Driedon : & propterea minus ipsi esse innitendum: superessent Driedon.

essent anni tantum nonaginta quinque, priusquam ex æquo, cum sua figura, veritas concordare posit. Absit tamen, vt propterea dicere, & quod quod tam incertum est, pro vero affirmare velim, quòd iudicij dies, siue aduentus Christi, nec vltra præscriptum annorũ numerum differri: nec citra etiam venire possit. Quia ipsa rei veritas, non tam ex figuræ debet considerari qualitatibus, & circunstantijs, quàm ex intentione, & voluntate Dei, quod futurum est, prædicentis: & quod in typo promissum est, suo tempore, adimplentis: vel, quod semel pro humana capacitate, & secundarum causarum dispositione, statutum est, iterum pro sua ipsius potestate, & libertate variantis. Vtrumque enim, Dei opus fuit, & quòd vita, quam Ezechias finiturus erat, ad quindecim annos prolongata: & quòd pœnitentia originali mundo concessa, in viginti annis abbreuiata fuit. Quantumlibet igitur firmissimis quis argumentis probare conetur, sicut se facturum falsò iactauit Osiander, quòd prædicta figura vera sit, & indubitata, nihilominus tamen hæremus & fluctuamus dubij, ignorantes, quo tempore iudicium venturum sit: propter id, quod à Christo in euangelio dicitur: Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Nam & inter illos dies, qui, propter electos, breuiãdi sunt

4.Reg.20.
Genes. 6.
Osiander in Coniectu.
Matth.24.

etiam

etiam extremum iudicij diem comprehēſum eſſe,nemo eſt,qui ambigat. Quid eſt autem, quod propter electos dicit illos dies breuiādos? non,vt quidam volunt,quod exigui numero,aut pauci futuri ſint:ſed quia tēpus tribulationis, ac perſecutionis Antichriſti prolixius eſſet ac diuturnius, iuxta naturales & ſecundarias cauſas,ſi non Dei miſericordia in electorum gratiā decurtetur. *Nam ſi bellum illud Romanorum*, vt inquit Chryſoſt. *Aduerſus Iudæos, propter electos, breuiori tempore fuit diſſolutum: quanto magis propter eos ipſos contrahetur illa* (ſcilicet Antichriſti) *tentatione*, teſte Hiero. *temporū mora, concutiatur credentium fides*. Vnde & D. Gregor. *Quia & ſuperbos nos, & infirmos Dominus conſpicit, dies, quos ſingulariter malos intulit, miſericorditer breuiatos dicit: profecto vt & ſuperbiam terreat aduerſitate tēporis, & infirmitatem refoueat de breuitate*. Et Cyrillus Hieroſol. Archiep. Deo, inquit, *ſit gratia, qui magnitudinem tribulationis exiguitate temporis circumſcripſit*. *Quia grauis*, teſtante Hylario, *Vexatio incumbet, & intolerabilis cunctis: niſi quod cauſa electorum Dei, diebus illis ſit breuitas afferenda, vt vim incūbentium malorum, coarctatum degraſſandi tempus exuperet*. Et in euangelio Matth. poſt ſupradicta verba, adiunctum legimus: Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ergo & electorum ſalus, in periculum vltimum venire poſſet, ſi

Chryſoſt. In 24. cap. Matthæi.

Gregor. lib. 32. moral. cap. 12.

Cyrill. Cath. 15.

Hylarius Canon. 25.

Matth. 24.

ſet, ſi cum magnitudine ſignorum & prodigiorum, temporis longitudo eſſet coniuncta. Sed quia dies tribulationis iſtius, electorum gratia, abbreuiabuntur, fieri non poterit, vt in errorem mittantur, & ſeducantur, quorum nomine, vim incumbentium maiorum coarctatum degraſſandi tempus exuperabit.

Quomodo ſit intelligendum quod dies abbreuiabuntur, & quare à Chriſto dictum ſit Apoſtolis: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta &c.

CAP. IIII.

LICET itaque plerique veterum, de paucitate dierum, putent intelligēdum, quibus Antichriſtus in eccleſiam Dei graſſaturus eſt: vel de modico tempore, quo Romanus exercitus, per Veſpaſianum & Titum, Hieruſalem obſedit: hoc quod Dominus de abbreuiatione dierum dixit; Eſichius tamen in epiſtola ad Auguſti. ita intellexit, quaſi ex pluribus diebus, prius mundi termino conſtitutis, fierent, propter electos, pauciores. Quod, quamuis hic ſe prorſus non intelligere diceret: non tamen reiecit, vt erroneum, nec, vt fidei Chriſtianæ cōtrarium, reprobauit. Quin, putauit potius credendum eſſe, aut certè coniecturandum (ſi Danielis prophetia de abbreuiatione ſeptuaginta hebdomadum, ad priorem Chriſti aduentum, non ſit referēda) quod tot hebdomades, ante ſecundum illius aduen-

Heſich. epiſt. 79.

aduentum, abbreuiarentur, quot ex tunc S. Daniel prophetauerat abbreuiatas. Addit adhuc Augusti: *Qui ergo sic dicit, Intra tot annos, nouissimus Christi aduentus erit, tunc falsum dicit, si vltra erit. Sed quia breuiabuntur, pauciores poterunt esse, non plures. Rectè itaque dicitur: intra hos erit; quoniam quantumlibet breuientur, verum erit. Ipsa namque abbreuiatio, si, eo modo, intelligenda est, vt pauciores fiant; vltra eos, diem Domini venire non patitur. Sed magis, magisq́; intra eos, quanto fuerint pauciores. Quoniam quanto magis ad paucitatem redigentur dies; tanto magis erit intra, & vltra esse non poterit. Atque ideo verum erit, quod ita definitur; vt dicatur, Intra tot annos erit, quamuis nesciatur, quo anno futurum sit.* Certè, si recentioribus Erasmo, eiusq; sequaci Caietano, nec nō Fransf. Forerio, fides sit adhibenda, qui grammaticorum more, nec ineptè, genuinas verborum significationes in scripturis etiam sanctis, inuestigare conati sunt: sic breuiari, nihil hic aliud significat, quàm partem decurtari, vel amputari à priori numero, vel mensura. Cæterùm, cum Dauidis testimonio, dicentis: Ordinatione tua perseuerat dies, exclusa sit illorum opinio, qui, vt Anselmus habet, &, ante illum Hieronymus; existimabāt ita breuiores illos dies futuros, quòd cursu solis celeriori breuiarentur; sicut fuit longior dies, orante Iesu Naue: superest, vt numero, non mensura, abbreuiandos esse credamus. Quis autem Latinorum nō videat aliud significari,

Psal 118.
Anselmus.
Hieron. in 24. Matth.
Iosue. 10.

cùm dicitur: breues dies hominis sunt, quod respectu dici potest, temporis illius, quo mũdus fabricatus perseuerat, vel æternitatis? & rursum aliud, cùm dicitur: breuiati sunt iam dies hominum, vbi respectus est ad ætatem protoplasti Adam, vel longæui Mathusalem. Ibi enim relatio est, siue comparatio, vnius quantitatis ad aliam in rebus diuersis: hic in vna, eâdem re, sola quantitatis diminutio. Si ergo solummodo, supradictis verbis docere voluisset Dominus Iesus, tribulationem ab Antichristo fidelibus inferendam, exiguo duraturam tempore, quis dubitat dicturum illum fuisse; Et nisi breues, vel certè pauci, fuerint dies tribulationis illius, non fieret salua omnis caro; nec addidisset: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Iam verò, cùm dixerit: Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi; cogimur (quantũ ego opinor) intelligere, hunc verum esse sensum verborum Christi, quòd in electorum gratiam, à mensura temporum nouissimorum prius ordinata, sed non prædefinita, aliquot dierum, siue annorum spacium erit amputatum. Nec est, cur quisquam hoc, aut nouum putet, aut erroneũ iudicet, cùm simile quiddam factum videamus, in diebus diluuiũ præcurrentibus: vbi ab illo tempore, quod Deus ipse, & futurum prędixerat, & præfixerat cer-

tùm, anni viginti abbreuiati sunt. Si itaque, secundum scripturæ calculum, credimus breuiatum fuisse tempus illud, quod inuariabili Dei decreto semel fixum fuit, & prædictum, & hominibus manifestatum, quis nefas esse putabit, si & illud tempus abbreuiandum esse credamus, quod mundi termino præordinatum, Deo quidem cognitum est & fixum: nulli tamen hominum manifestatum: angelis occultis, omnibus incertum? Hinc fortè est, cur Apostolis, Christus responderit, interrogantibus; Domine, si, in tempore hoc restitues regnum Israel? Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quia, cùm libera semper, variãdi tempora, potestas apud Patrem suum maneat, ita, vt vel prolongare, vel abbreuiare singula momenta posit, noluit Christus Apostolis indicare, quo tempore restitueret regnũ Israel, ne, si præscriptum tunc tempus, postmodum, ob occultas caussas, variatum fuisset; aut ignorasse certitudinem temporis, aut falsum predixisse putaretur. Quod autem hoc Domini responsum eò tendat, non solus ego, nec primus dico. Dixit etiam, & ita exposuit, ante annos mille trecentos, magnus ille scripturarum illustrator Origenes: Eius verba hæc sunt. *Quoniam* (de Patre loquitur) *in sua potestate, tempora & momenta consummationis mundi, & restitutionis regni Israel posuit, ideo, quod mundum*

Act. 1.

Origenes tractatu 30. in Matth.

 fuerat

fuerat prædefinitum à Deo, nemo poterat ſcire. Vnumquodq; autem quod præfinit, non ab inexperibili præfinit: non poßibile eſt enim hoc. Quod autem præfinit, principium præfiniendi faciens. Si autem ita eſt, præfiniuit quidem conſummationem facere mundi: non autem & tempora, & momenta præfiniuit, quæ poſuit in ſua poteſtate: vt, ſi voluerit ea augere, ſic iudicans augeat ea: ſi autem abbreuiare, abbreuiet, nemine cognoſcente. Et ideo de *temporibus, & momentis conſummationis mundi, in ſua poſuit poteſtate, vt conſequenter humano generi, in ſuo arbitrio conſtituto, talia vel talia agenti, definiat iudicium debitum.* Ergo non tam increpantis eſt ſermo: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuaipſius poteſtate, quàm, quod ipſis ſcire, impoſsibile ſit, oſtendentis; ſimul atq; rationẽ reddentis, cur Apoſtoli, tempus reſtituendi regnum Iſrael, noſſe non potuerunt: quia Pater illud, pro ſuo arbitrio, meritisq; hominum, variandum, in ſua poſuit poteſtate. Tangit leuiter Hylarius, quod Chriſtus dixit; Patrem *tempora, non in ſua ſcientia, ſed in poteſtate poſuiſſe*; ſed rationem addere, & differentiã verborũ, declarare nõ curauit: cum nõ hoc ex propoſito, ſed aliud tractare haberet. Quanquam tamen nõ ita procul à principio ſequentis libri, rationem hanc indicare videatur, quod necdum tempus eſſet definitum: *poteſtati ſuæ*, inquiens, *Patre momentum definiendi adhuc diei, ad demonſtrationem authoritatis innaſcibilis, reſeruante.* Quare, cum nos ſuſcepi-

Hylarius lib. 9. de trinit. in fine.

Lib. 10. de trinitate.

pti laboris necessitas cogat, vt, pro ingenioli nostri tenuitate, in prædictæ opinionis confirmationem, aliquid adferamus, considerandum est hic, breuiterq; percurrendum, qua ratione Christus dixerit, tempus vltimum positum esse, non in scientia, sed in potestate Patris. Dixerat semel ante passionem suam, dum ea, quæ ad futurum spectant iudicium, pertractaret: De die autem illa, & hora, nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. Vbi scientiæ Patris tantùm, & non potestatis meminit. Præsciebat, quod fortè discipuli diem illum ab ipso discere vellent, si palam se cum Patre scire professus fuisset: ideo à sua etiā, vt Marcus habet, occultauit notitia; Non quòd verè nesciret, sed ne, si nescire se non diceret, reuelare cogeretur, quibus hoc tunc scire nō expediebat. *Hoc enim nescire dicitur filius, quod nescientes*, sicut dicit Augusti: *facit; id est, quod non ita sciebat, vt tunc discipulis indicaret. Et propterea*, teste Chrysosto. *Patri istam notitiam attribuit; rem arduam esse ostendens, maioremq;, quàm ipsi capere possent.* Negauit planè filium nescire, ne quisquā mortalium, vel scire posse, vel debere videretur. Sed hæc ante mortem. Verùm post resurrectionem suam, cum Apostoli, accepto spiritu sancto, apertoq; illorum sensu, vt intelligerent scripturas, clarius singula eius dicta, & promissa intueri inciperent; imprimis illa: Omnia, quæcunque audiui à Patre meo no-

Matth. 24.

August. lib. 1. de trinit. ca. 12.

Lucæ 24.

Ioan. 15.

Ioan. 14. ta feci vobis. Et: Siquid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam. Et iterum: Petite, & Lucæ 11. dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Item illud: Cum sederit Matth. 19. filius hominis, in sede maiestatis suæ; sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: percunctantibus illis, de tempore restitutionis regni Israel, rationé reddere coactus fuit, quare, qui, ob muneris Apostolici dignitatem, & ob cõmissam, prædicandi verbi Dei, legationem, tempus illud scire, & hominibus, vt se præpararent, annunciare debere videbantur, non possent. Ideoq; respondit: Non est vestrum nosse tempora, vel Augustin. in epist. 78. momenta: siue; vt etiam legit Augusti. *Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate*: qua dicendi formula, veri boniq; filij expresit naturã, qui, vt demõstraret authoritatem innascibilis Patris sui, quod sibi commune est cum illo, hoc totum, quasi proprium, Ioan. 6. & peculiare Patri asignauit. Sicut est, & illud: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui Ioan. 14. misit me, traxerit eum. Et iterum: Pater in me Ioan. 5. manens, ipse facit opera. Et: Amen amen, dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, Matth. 20. nisi quod viderit, Patrem facientem. Huc spectat & illud, quod duobus fratribus respõdit: Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. *Volens enim ostendere*, inquit

inquit Ambrosius, *quod non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetrare non possent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiæ reseruauit: non metuens ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem* Deo: *simul diligens discipulos, quod sic habes; vsque in finem dilexit eos: noluit his, quos diligeret, videri, quod peterent, denegasse sanctus & bonus dominus; qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere.* Eadem ergo ratione, qua duobus discipulis dixerat: Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo, potuit & omnibus dicere interrogantibus: Domine, si, in tempore hoc, restitues regnum Israel? non est meum hoc manifestare vobis, nec vestrum est nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quam, licet multis testimonijs, se cum Patre parem habere, sæpius declarasset; vt est illud: Ego & Pater vnum sumus. Et: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, tamen volens eis in memoriam reuocare, quod ante dixerat: Vado ad Patrem, quia pater maior me est, finalem temporum dispositionem, in Patris sui constituit potestate: vt & prærogatiuam paternæ honorificentiæ reseraret, &, quàm non perfunctiorum fuerit, sed arduum, quod postulabant, ostenderet. In tali ergo potestate Patris, posita sunt tempora, & momenta consummationis sæculi, regniq; Israel resti-

Ambros. lib. 5. de fide. cap. 3.
Philip. 2.
Ioan. 13.
Matth. 20.
Act. 1.
Ioan. 10.
Matth. 28.
quare dt ēē [illegible]

restitutionis, vt, si volet, sic iudicans, abbreuiare, abbreuiet: si non volet, ita, vt sunt ordinata, relinquere: aut iterum, si volet, nemine cognoscente, prolongare possit. Sed magis, ad priorem opinionem sequendam, trahit nos sententia Christi, qui, propter electos, vt salui fiant, dicit dies breuiandos. Cum itaque aliquid certi habituri videbamur, de tempore, de anno, de die Iudicij, ex computatione temporis legis naturæ, iam omnem, hisce verbis, certitudinem aufert Christus. ne quis fortè præsumptuosus, eam sibi notitiam, de certitudine extremi illius diei, vendicare non vereatur, quam nec angelis cælorum, nec sibi, sed soli Patri cognitam dixit. Quare non puto quemquam mortalium, hunc certum diem, ex scripturarum testimonio, præcogniturum, nec, in quot diebus, vel annis abbreuiatio ista futura sit, nisi, cælesti oraculo, fuerit ei reuelatum: sicut legimus, per Angelum Danieli manifestatum fuisse, quod tempus, priori aduentui Redemptoris nostri præfixum, in spatio septuaginta hebdomadarum abbreuiaretur: vt, quemadmodum Angelus professus est, consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum; & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna: & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum.

Marc. 13.

Daniel. 9.

Danie-

Danielis prophetia, de septuaginta hebdomadibus abbreuiatis, discutitur, & quid ista abbreuiatio sit, & quare facta sit, declaratur. CAP. V.

SED fortè quispiam occinet: Heus tu, quid agis? quo te, ingenioli tui, priuata rapit opinio, quum nullus doctorũ, in illũ sensum, interpretatus sit vaticiniũ Danielis? Sistam ergo cursum, oportet, incœpti sermonis, vt in hanc prouocatus disputationis palæstram, id saltem præstet tenellus luctator, quod possit, licet nõ quod debeat, vel velit. De hebdomadibus Danielis, diuersam video sententiã veterum. hi ad priorẽ Christi aduentũ referunt: illi ad futurũ in fine sæculi: alij ad vtrũque, sicut August. in posteriori epistola ad Hesichiũ annotauit. Rursum, quod ad principiũ, & finẽ earundẽ hebdomadarũ attinet, tam variè varij scripserunt, vt inter antiquos Patres, vix paucos inuenias, qui in eandẽ, pari consensu descendãt sententiã. Vnde B. Hiero. quia periculosum esse videbat, de magistrorũ ecclesię sententijs iudicare, maluit prudẽter opinionẽ occultare propriã, quàm alterũ alteri pręferẽdo, acriorem dissentionis materiã posteris administrare. Omissis igitur omnibus difficultatibus, quæ ex diuersitate opinionũ, de tempore inchoationis, & cõpletionis harũ hebdomadarum, apud Scriptores exortæ sunt, solũ hoc videndum est, quod ad pręsens attinet institutum, an nõ magis in propria significatione accipi

Hieron. in Comment. in Danielem.

cipi debeat, quod hebdomades abbreuiatæ dicũtur, quam in illa, quæ cõmuniter tenetur ab expoſitoribus. Quanquam tamen nõ omnes, eandem ponant interpretationem, nec eaſdem rationes adferant, cur abbreuiatæ dicuntur. Nam doctor Driedon, poſt Lyram, Hebræo innitens vocabulo, ideo putat hebdomades dici abbreuiatas, non quòd anni earum ſint, aut breuiores ſolaribus annis, aut ſecundum Lunæ curſum, ſupputandi: ſed quòd talis hebdomadum numerus, diuinitus ſit deciſus, definitus, ſeu conſtitutus ſuper populum Dei. Alij verò, quos venerabiles Patres idem doctor appellat, vt ſunt Iulius Africanus, Beda, eorumq; ſequaces, ideo tradũt has hebdomades dici abbreuiatas, quòd anni earum ſint accipiendi lunares, & non ſolares. Lunaris enim annus diebus vndecim breuior eſt anno ſolari. Hanc opinionem amplectitur D. Carthuſia: inductus authoritate Africani: *quem*, vt ipſe dicit: *Hieronymus doctiſſimum vocat*: & venerabilis Bedæ: quibus etiam Scholaſticam Hiſtoriam, Albertum magnũ, & Gloſſam ordinariam adiungit. Vt igitur videre poſſimus, num firmitas promiſsionis Dei, quę Danieli facta eſt, ſic poſsit ſtare, vt & in veritate completa in Chriſti aduentu credatur; & nihilominus ſeptuaginta hebdomades, ex ratione abbreuiatæ probentur, operæprecium eſt aduertere, quid S. Daniel deprecando intende-

Driedon. lib. 3. cap. 5. Par. 4.

Iulius Africa. et Beda.

tenderit, quando ſacramenti huius notitiam, Deo reuelante, impetrauit. Imprimis itaque Daniel, ſciens populum Iſraelem, propter delicta ſua, in Babylonem tranſportatum, nec facilius iram Dei placari poſſe, quàm ſi quiſq; pro ſuo capite, reum ſe eſſe agnoſcat, conuertit mentem in Deũ, gemitibus, lachrymis, clamoribus, peccata propria, Patrum, Principũ, Regum confitetur: Deum obnixius orat, vt iram deponat, & faciem ſuam, ſuper ſanctuarium deſertum, ſuperq; ciuitatem, & montem ſanctum oſtendat. Hic autem meminiſſe oportet, ſubinde, per faciem Dei, corporalem filij præſentiam, ſignificari in ſcripturis: ſicut etiã Carthuſianus in Commentarijs Pſal. 12. annotauit. Et Theophylactus dicit: *Videtur vnigenitus Dei filius, facies eſſe Patris, tanquam character, & forma ſubſtantiæ eius, ipſiusq; manifeſtator.* Et ante illum, B. Ambroſ. in Pſal. 43. ſcribens, verſum illum: Quare faciem tuam auertis; *pro incarnationis filij Dei ſacramento*, intelligi poſſe teſtatur. *Quod fortaßis*, inquit, *propterea dicitur, quia deſiderantibus, Chriſti moram faciebat aduentus.* Ipſe enim eſt vultus Patris, qui eſt imago, & gloria Dei. Hanc faciem, eodem teſte, quia tardius apparere videbatur, & alibi Dauid deſiderauit, quando dixit: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, vt ei, qui erat, in vmbra mortis populo, cæleſtis miſericordiæ lumen oriretur: adueniret Chriſtus remißio captiuorum: peccatorum redemptio: ſubſidium laborantium.*

Dionyſius in Pſal. 12.

Theoph. in 1. cap. Naum proph.

Ambroſ. in Pſal. 43.

Ambroſ. ſer. 17. in Pſal. 118.

Deinde

Daniel. 9. Deinde Daniel addit: *Exaudi Domine, attende & fac: ne moreris, propter temetipſum, Deus meus; quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum.* Vnde apparet S. Virum, non ſolum, orando, hoc intendiſſe, vt auerſum reconciliaret populo Deum; vt iratum mitigaret, ſed etiam, vt differentem Meſsiam mittere, & expectantem faciem oſtendere, ſuper ſanctuarium ſuum, blandè moneret, flecteret piè, fortiter incitaret. Hoc enim eſt, quod ſupplicans ait: *Attende, & fac, ne moreris propter temetipſum Deus meus.* Eſto verò, quod expreſſe non videatur oraſſe pro acceleratione aduentus Meſsiæ, certum eſt tamen, quod hoc ipſum etiam orare intẽderit: imò hoc ipſum magis, quàm reditum populi, ex Babylone, quam reſtaurationem ciuitatis, aut templi impetrare cupierit. Nam, dum Gabriel futurorum ſecreta ipſi reuelans, quaſi primo loco, præmittit ea, quæ ad corporis peccati deſtructionem ſpectant, & ad plenitudinem vnctionis Christi, præ conſortibus ſuis, oſtẽdi videtur, quod feruentius propheta Meſsiæ aduentum optauerit, quàm populi reditum in Ieruſalem, licet hoc, aperto ſermone, non expreſſerit. Sicut enim, non ex oratione Zachariæ, quæ nulla apud Euangeliſtam, ſcripta eſt, quod filium ſibi naſci deſideraret, cognoſcimus, ſed ex Angelica reuelatione; ſic etiam hoc in loco, ſi nõ ex verbis Danielis, quod Chriſti aduẽtum acce-

Roma. 6. Hebr. 9. Pſal. 44. Lucæ 1.

celerare peteret, certè ex Angeli vaticinio discimus, qui mentis affectum magis, quàm strepitum vocis examinans, hoc primum, iussu diuino, prophetæ manifestauit, quod maximo illi videbatur esse desiderio. Ex præmissis itaque constat, tria specialiter virum sanctum orasse. Primò, vt populus ex Babylonica captiuitate liberatus, in Iherusalem reduceretur, ruinas vrbis, & templi, restauraturus. Deinde, vt promissus olim Patribus Messias adueniret, excussurus diaboli iugum ab ijs, qui salui fierent. Tertiò, ne aduentum suum differret, sed omnem moram abrumpendo, præueniret potius tempus: ne malorum præuaricatio, diutina expectationis mora, augmentaretur. Et in his tribus summa videtur consistere, & fundamentum totius orationis Danielis. Quibus Angelus cõuenienter quidem, sed ordine retrogrado respondit. Nam à postremo suam reuelationem incœpit. Septuaginta, inquit, hebdomades abbreuiatæ sunt, super populum tuum, & super vrbem sanctã tuam. Et, nequis miretur raram diuini decreti mutationem, statim rationem abbreuiationis adiunxit: vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum; & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna; & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Deinde ad secundum dixit: Scito ergo, & animaduerte, ab exitu sermonis,

nis, vt iterum ædificetur Iherusalem, vsque a Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Postremo verò respondit ad primum, quando subiunxit: Et rursum ædificabitur platea, & mu in angustia temporis. Ex prædictis ergo, probabilis coniectura elici potest, quòd abbre uiatio septuaginta hebdomadum, non ce temporis notet determinationem, seu taxa tionem, vel cōstitutionem: sed diminutione potius, aut decurtationem; ita vt à tempo incarnationi filij Dei cōstituto, numerus qua dringentorum nonaginta annorum, ea ratio ne, amputatus sit, vt consummaretur præuar catio, & finem acciperet peccatum &c.

Solutio obiectionis, in qua probatur præscientiam Dei necessitatem non imponere rerum euentibus, sed mu dependere ex hominum voluntate, & secundarijs cau sis. CAP. VI.

NEC est, cur cuiquam hoc absurdu aut incommutabilibus Dei decretis co trarium esse videatur; quòd nunc certam te porum mensuram rebus futuris definiat, nu eadem illa tempora, contingentes ob causa de libera hominum voluntate proficiscent vel abbreuiet, vel prolōget. Nam licet reru quarumlibet certa durationis tempora, inua riabilis eius scientia constituat, & præcogno scat; non tamen infallibilitas illius præscient

omn

omnibus temporibus ex necessitate, finem imponit. Quia multarum rerum euentum, in libertate voluntatis hominum mutabilem, & in hoc, vel illud tempus, pro varietate secundarum causarum, determinandum suspendit. Non enim semper rerum omnium effectus, præscriptum diuinitus sequuntur euentũ: nec omnes temporum mẽsuræ determinatam accipiunt, suæ completionis perfectionem. Creatus erat Adam à Deo, & in paradiso collocatus, vt in eo operans, illumq; custodiens, perpetua eius præsentia, & gloria frueretur. Effectus ergo creati hominis, æternę vitæ promissio, aut certè Dei fruitio fuit. Sed dum ille, inexperta voluntatis suæ, abusus est libertate; fecit, vt euentus vitæ nostræ, qui fixus in Deo, & perpetuus manet, incertus sit, & varius: nec minus ad pœnam, quàm ad gloriam, pro diuersitate meritorum, conuertibilis. Dauid quoque rex, secundũ quandam Dei præsciẽtiam, & definitionem, tradendus erat à viris Ceilæ in manus Saul persecutoris sui, si mansisset in ciuitate: qui iam, inde fugiens, liberatus est. Ideo vtique liberatus, non quia Deus ita futurũ præuidit, sed quia, timore perculsus, Dauid fugit. Tradendus enim erat secundum Dei responsum, & non liberandus, si fugæ conditionem arripere neglexisset. Nec tamen minus à Deo præuisum fuit, quòd, per fugam, è manibus Saul, eriperetur, quod

1. Reg. 23.

tacue-

tacuerat, quàm, quod à viris Ceilæ tradere tur, quod prædixerat. Vtrunque itaque præ sciuit, & quod traderetur, si maneret in ciui tate; & quod liberaretur, si fugeret: neutrum tamen necessariò euenire debebat. Quia pi Dei, sollicitaq; prouidentia, etiam manen Dauid in ciuitate, per aliud medium consu lere potuit, ne per manus virorum Ceilæ tra deretur: & fugienti, extra ciuitatem, Saule obuiam mittere, vt, tali interueniente occa sione, foris perire debuerit, qui, iam fugien saluatus est: & in ciuitate potuerit occulte manere, velut nuncij Iosue, qui prius, ali medio, tradendus forsitan fuisset. Sic, & ante diluuium, centum viginti anni, in certũ pœ nitendi terminum, humano generi præscrip sunt à Deo, sed tamen inde viginti annorum spacium est abbreuiatum: quia ingrauesce quotidie peccatorum sentina, longiorem pœ niendi dilationem, non admisit. Vel, vt Chry sost. inquit, *quoniam vidit Deus, quotidie incurab ter illos peccare, & non solum nihil ex indicibili longa mitate sua proficere, sed & incrudescere vlcera; succ tempus; vt ne maiori, scilicet pœnæ se obnoxios facere* *Nam, qui in centum*, inquit, *annis, conuerti noluer quid amplius proficerent ex annis viginti? quàm quod ra adijcerent peccata?* *Compendium autem est*, te Ambrosio, *malè agentibus, si citius moriantur, qua si diutius, in peccatis versentur*. Siquidem *bonum eis*, secundum Bernardum, *si sic agere perseuera*

vt;

Iosue. 2.
Genes. 6.

Chryso. Homil. 25. in 7. cap. Genes.

Ambros. in Cõment. 5. cap. 1. ad corinth.

Bernard. ser. de fallacia præsen. vitæ. in princi.

vt flagitijs eorum, quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem imponat. Expedit enim ijs, *qui semper anima moriuntur, vt corpore citius moriantur.* Sic illi: Ex supradictis ergo perspicuum est, Dei præscientiam, necessitatem non imponere, rerum euentibus, sed quamplurimos dependere determinandos, ex hominum libera voluntate. Quæ, dum aut gratia Dei, aut instinctu Diaboli, aut carnis propensione, vel ad bonum ex malo, vel ad malum ex bono mutata, incitatur, facit sæpe, vt ea, quæ Deus, hoc modo & tempore fieri vult, & euentura præuidebat, alio fiant tempore & modo, etiam præuiso & cognito. Quia ipsa, qualiscunque sit, nostræ voluntatis mutatio, nouam semper infert futuris rebus occasionem: quæ, si sic, permaneat, euentus rerum, hoc modo, & tempore complebitur: si iterum varietur, tunc alio tēpore, & modo, perficietur. Hoc tamē ita præuidet Deus, vt nullā patiatur inuariabilis eius notitia mutationem: nec in tempore discat, quod ante tempora sciuit. Siue enim nunc, siue tunc fiat, quod semel futurū est; siue hoc, siue illo modo: semper vtique fit, & tunc fit, & ita fit; quando, & sicut ipse, ab æterno, futurum præcognouit. Non enim potest homo, voluntate sua, diuinum perturbare cōsilium, quasi Deum, quod semel statuit, rursum mutare cōpellat; cùm Deus præsciēdo vtrunque præueniat, & quod homo, voluntate propria,

diuino decreto nõ acquiesceret; & quod nũquam tamen non fieret, quod semel futurum ipse præuidisset. Et licet *dicatur statuta, vel futura mutare: sicut etiam tropica locutione, in scripturis sanctis pœnituisse legitur, hoc iuxta id dicitur,* teste Augustino, *quod homo sperauerat, vel naturalium causarum ordo gestabat: non iuxta id, quod se omnipotens facturum esse præsciuerat.*

Genes. 6.

August. li. 14. de ciuit. Dei. cap. 11.

Peccatum caussa incarnationis filij Dei fuit, quod, quo magis multiplicabatur, & crescebat, eo amplius Christi aduentus accelerare debebat.

CAP. VII.

DVM ergo caussæ rerum illarum, quæ ex mutabili hominum pendent voluntate vel omnino auferuntur, vel variantur, quid mirum est, si etiam tempora, quæ illis ipsis rebus à Deo præfixa sunt, vel auferantur penitus, vel prolongatione, aut abbreuiatione varientur? Exempli gratia. Ionas propheta doctus à Deo, subuersionem minabatur Niniuitis. Caussa huius subuersionis, aggrauatio peccatorum fuisset. Tempus verò subuersioni constitutum, dies quadraginta. Conuertuntur Niniuitæ à peccato, ne subuertantur à Deo: & occasione subuersionis expirante, expirauit etiam, apud Deum, tempus vindictæ. Sic & peccatum caussa *incarnationis filij Dei fuit* testante Augustino, qui dicit: *Si homo non periisset, filius hominis nõ venisset. Nulla enim caussa veniendi*

Ionæ. 3.

Augustin. de verbis Apostoli. Serm. 8. Ibid. Ser. 9. Itẽ in Psal. 49.

fi-

fuit Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle, inquit, *morbos, ac vulnera, & nulla caussa est medicinæ.* Multiplicatis ergo hominibus, & crescētibus quotidie, crescere cœperunt & peccata in mundo. Quare & tempus illud, quod *incarnationi* Christi Domini destinatum fuit, necessariò variari debebat, & abbreuiari, quia cum infirmantis morbus indies magis ac magis accrescit; & vehementia ægritudinis vires corporis absumit, necesse est, vt festinanter medicus pharmacum præparet, vt succurrat virtute potionis in tempore, priusquam desperatum fiat morbi incrementum. Pro hac facit opinione, quod D. Ambros. scripsit: *Tempus est faciendi, vt, si ingrauescente ægritudine alicuius incommodi, curras ad medicum, vt citius veniat: ne postea subuenire non possit. Medicus enim tunc amplius desideratur, cum grauis incubuerit ægritudo languēti. Tempus faciendi Domine, hoc est, vt pro nobis crucem ascendas: mortem subeas. Totus in periculum vltimum mundus vrgetur: veni vt tollas peccata mundi. Consummauerat enim,* inquit alibi, *malitiam suam mundus: & venit agnus* Dei, *qui tollit peccata mundi, qui est Christus Iesus, qui consummatum sæculi aboleret errorem.* Consonat his, quod Gregorius Nyssenus, in hunc modum, scribit. *Quod autem non ab initio Dominus apparuerit, sed; in extremis temporibus, Deitatis suæ manifestationem, & apparitionem humanæ vitæ largitus sit, vel hanc forsitan aliquis, à ratione caußam, non alienam animo conceperit: quod nimirum is, qui vitiositatis tollēdæ*

Ambros. ser. 16. super Psal. 118. vers. 6.

Ambros. ser. 12. super Psal. 118. vers. 8.

Gregor. Nyssenus Oratio. de S. Christi natiuit.

caussa; vitæ humanæ se immixturus erat; necessario expectauit, donec omne peccatū, opera inimici, radicibus adgerminasset: atq; deinde radici securim, vt Euangeliū dicit, admonuit. Etenim ex medicis ij, qui artē exercent, dum adhuc febris, corpus intrinsecus vrit, ac paulatim, à causis morbi efficientibus accēditur, indulgent infirmitati, donec ad summū vigorē, ægritudo progressa sit: nullū à cibis auxilium ægrotanti adhibētes. Quum autē constiterit malū ac morbus se totus exeruerit, atq; prodiderit, tunc demum adhibent artem. Itidem is, qui animo malè valētibus medetur, expectauit, donec nequitiæ morbus, quo oppressa fuit hominū natura, totus reuelatus, atq; detectus esset, vt nihil latens, & occultū, curationis expers maneret, si medicus id solum, quod apparuisset, curaret. Et aliquanto post: *Posteaquā igitur omnis nequitiæ vis, ex mala radice ædita est, & varijs modis in animis eorū, qui per quamq; ætatem, improbitate, atq; nequitia nobiles & insignes fuerunt, luxuriādo creuit; tunc, quēadmodū Paulus ad Athenienses ait, quum tēpora ignorātiæ, Deus quasi cōniuentibus oculis dissimulasset, ac tolerauisset, nouissimus tēporibus aduenit: quū non esset, qui intelligeret, & exquireret Deū: quum omnes declinassent, simul inutiles facti essent: quum omnia, intra peccatum, conclusa essent: quum scelus abundasset: quum ad summum modum nequitiæ caligo creuisset, tunc apparuit gratia: tunc veræ lucis radius exortus est: tunc iustitiæ sol apparuit in tenebris, & in umbra mortis sedentibus: tunc pede nitens impresso, multa illa capita draconis contriuit; & per carnem humanam in terram affixit, & conculcauit.* Hæc Nyssē. Quibus conformia sunt, quæ Theophylactus, in di-

Matth. 3.

Theophyl. in 4 cap. ad Galath.

uersis

uerſis habet locis. Scribens enim in quartum caput epiſtolæ ad Galat. de plenitudine temporis, quo Pater filium miſit, ſic dicit: *Quamdiu infantes eramus, ſubiecti fuimus Neomenijs & ſabbatis: at ſimulatq; aduenit præſtitutum tempus Chriſti incarnationis, cum omne ſcelerum genus pergreſſa humana natura, opus haberet curatione, emendauit filium ſuum Deus, hoc eſt, placuit ei, ut ueniret: quod tum erat, cum uitia ad ſummum faſtigium perueniſſent, & nihil intentatum Satanas reliquiſſet.* Et iam tunc temporis, inquit, *quo regnabat Cæſar Auguſtus, in ſummo erat malicia, quam deſtrui oportebat. Sicut enim medici ſinunt, in ſæui morbi ulceribus, humorem colligi, & deinde remedia apponunt; ita & peccatum oportebat omnes ſuas ſpecies indicare: & deinde magnum medicum imponere pharmaca.* Et propterea, inquit, *expectauit Chriſtus, donec diabolus maliciæ menſuram impleret, & tunc demum incarnatus eſt: & omne genus maliciæ per ſanctam vitam ſuam, ſanauit.* Et alibi: *Expectauit animarum medicus, donec uniuerſa maliciæ ægritudo panderetur, ut nihil iam abditorum, incuratum maneret, medico ſolummodo, quod patet viſui, curante.* Si neceſſariò expectandum erat Chriſto, donec omne peccatũ, opera inimici, radicibus actis, germinaret: donec vniuerſa malitiæ ægritudo panderetur; donec maliciæ menſuram diabolus impleret: ergo citius veniſſet, aut diutius adhuc expectaſſet, ſi hic vel citius, vel tardius maliciæ ſuæ menſuram impleuiſſet: de qua Chriſtus non mandando quidem, ſed aut prophetando, vt

Idem in 3. ca. Abacuc.

Idem in 14. cap. Lucæ.

Theophyl. in 9. cap ad Hebræos.

 Chry-

Chrysostom. Caietanus. Matth.23. Origenes tractatu 26. in Matth.

Chrysost. aut, permittendo, vt Caietanus dicit, scribis & Pharisęis locutus est: Et vos implete mensuram Patrum vestrorum; *Quod minus fuerat iniquitatibus eorum, per meum, & meorũ prophetarum sanguinem adimplentes.* Quando ergo tota caussa veniendi fuit Christo, peccatores saluos facere, in quibus conscientiarum vulnera, non temporum alleuiabantur diuturnitate, sed aggrauabãtur quotidie magis multitudine criminum, eò sane maiore festinatione opus est, ad curandum, conseruandumq; genus humanum, quo propius ad summum impietatis gradum accedens incurabiliter infirmari inciperet. Potuisset quidem Christi aduentus eousq; differri, quo, sub lege Moysica

Traditio domus Heliæ.

secundum quandam domus Heliæ traditionem, quæ in libris citatur Thalmudicis, bis mille anni complendi erant, qnod tunc fere quantum videre possum, futurũ fuisset, si non essent septuaginta hebdomades abbreuiatæ. Sed quia extrema tunc vitæ & redemptionis humanæ ratio, hoc exigere videbatur, vt medicus cælestis, commune omnibus adhibiturus salutis antidotum, citius adueniret, priusquam morborum ac vulnerũ grauitas, spem vitæ & salutis recuperandæ exclnderet; tempus istud prolongum contractum fuisse putandum est: proq; nongentis octoginta annis, à restauratione ciuitatis & templi, vsq; ad Christum restantibus, quadringentos nonagin-

ginta constitutos. Et sic impletum est illud, quod, secundum Hebraicum & nostrum textum, Abacuc prophetauit. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Domine, opus tuum, in medio annorũ viuifica illud: in medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Eramus, inquit Paulus, natura filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia, inquit, estis saluati. Licet itaque Deus irasci merito potuisset mundo, vsque in finem annorum, non mittẽdo agnum dominatorem terræ, sed extendendo iram suam à generatione, in generationem; cum tamen recordaretur, quoniam nos figmentum eius sumus, &; quàm diues ipse esset in misericordia, viuificauit opus salutis nostræ, quod, quasi Adæ peccato, extinctum fuerat; & illud in medio annorum notum fecit, iuxta id, quod Psalmista dicit: Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Sicut ergo, in multis rebus, medium tenuisse legitur, qui mediator Dei & hominum futurus erat; nostramq́; salutem in medio terræ operaturus, sic etiam, in hoc, medium elegit, quod ex æquo, diuisis temporum spacijs, totidem hebdomades voluerit abbreuiari, quot

Abacuc. 3.
Ephes. 2.
Esaiæ 16.
Psal. 84.
Psal. 102.
Psal. 97.
1. Timo. 2.
Psal. 73.

ex tunc, quo, vel Danieli hæc reuelatio fact
est, vel ex quo restauratio ciuitatis & tem
pli incœpit, vsque in aduentum suum, restar
poterant consummandæ: vt celerius notu
Psal. 75. fieret in Iudæa Deus, nec diutius Patri cane
Psal. 88. retur. Tu verò repulisti & despexisti, distulisti
Christum tuum: sed illud impleretur, quod
Esai. 10. & 28. Esaias dixerat: Consummatio abbreuiata inū
dabit iustitiam. Consummationem enim &
abbreuiationem dominus Deus exercituum
faciet in medio omnis terræ.

Ratio mysterij, de septuaginta abbreuiatis hebdomadibus declaratur. CAP. VIII.

PORRO iuxta rationem mysterij, abbre
uiatio illa temporis in hebdomadibus se
tuaginta fuit, quia iam tunc vniuersum pene
genus humanum, per totos septem hebdo
madæ dies, peccandi studio incumbebat: &
septem vitijs capitalibus immersum, decem
Dei præcepta aut ignorādo violabat, aut non
faciendo contemnebat. Septenarius autē nu
merus multiplicatus in se septies ex denario
septuagenarium efficit. Vel ideo dici potest
hebdomades septuaginta abbreuiatas, vel
quia Daniel septuaginta annorum desolatio
Iere. 25. & 29. nem, quos in libris Hieremiæ viderat, exple
ri affectuosius petebat, magnitudinem suæ pa
ternæ misericordiæ manifestaret Deus, qui, vt
genus humanum, à diaboli captiuitate, cele

rion

riori tempore, redimi posit, toties septem annos se abbreuiasse, per Angelum significauit, quot tunc singulos, seu vnicos annos, populus Israel in Babylone compleret. Hinc magnum fortè mysterium illud est, quod Christus Petrum docere voluit, quando nõ septies tantum fratri peccanti delictum esse remittẽdum dicebat, sed vsque septuagies septies, id est, vt Hieronymus dicit, quadringentis nonaginta vicibus. Cum enim Petrus ad numerum dierum vnius hebdomadæ, gratiam fraternæ condonationis, coarctandam existimaret; amplificauit eam Christus, & in tot vices dilatandam præscripsit, quot, pro suæ incarnationis acceleratione, anni abbreuiati fuerant. Eandem ergo misericordiam docentur Christiani, Christianis exhibere, in relaxanda septuagies septies venia delictorum, quam Creator creaturæ ostẽdere dignatus fuit. *Qui propterea*, vt Ambrosius inquit, *carnem suscepturus erat, & venturus in terras, vt multiplicatam nobis donaret veniam delictorum*. Sed quid ago? quasi propositæ nauigationis oblitus, in profundũ pelagus delapsus sum. Sistere paulisper cursum decreueram, sed raptus lõgius, dum priuatam expando ventis sententiam, grauioribus periclitor disputationis vndis. Iam naufraga ad propositum redeat oratio. Si ergo quorundam piorum hominum deuotæ, sub veteri Testamento, preces, deuotaque desideria,

Matth. 18.

Ambros. lib. 2. de Iacob. cap. 6.

Daniel. 9. & 10. ria, quorum Daniel vir desideriorum vnus fuit, hoc ab ipso Deo impetrarunt, vt Messias, mundiq; Seruator, carnem assumpturus humanam, septuaginta hebdomadibus citius in mundum venerit, quàm venturus fuisset, secundum tempus ab indifferenti Dei notitia præfinitum, quare non credemus tot sanctorum agmina, qui partim in cælis, extra carnē cum Christo triumphant; partim in terris, contra carnem pro Christo militant; apud altissimum, iugi sua prece impetrare posse, vt tempus Iudicio consummādo præfixum, non in hebdomadarum septuaginta, sed in totidem, aut circiter, annorum spacio abbreuietur: vt consummetur præuaricatio; & finem accipiat peccatum: vt tollatur hæresis, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna: & impleatur visio, & prophetia, & euangelium: & glorificetur sanctus sanctorū. Ambros. super Lucam ca. 21. *Quoniam sicut primus aduentus Domini*, ait Ambrosius, *propter redimenda peccata, ita & secundus, propter reprimenda delicta, ne plures perfidiæ errore labantur.* Ibid. paulo ante. *Quoniam à vera religione, plerique lapsi errore desciscent.*

Duplici ratione potest abbreuiari tempus Iudicio constitutum: tum orationibus sanctorum, tum multiplici hominum malicia. CAP. IX.

DE HAC autem iugi sanctorum, continuaq; prece, manifestum, apud Lucam, habemus testimonium: vbi, cum Seruator noster,

noster, viduæ cuiusdam importunum clamorem, ab iniquo iudice exauditum dixisset, eo quòd finem rogandi non faceret, concludens adiunxit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamãtium ad se die ac nocte; & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorũ. Quid ni, quæso, faceret? cum, Hylario teste, *nec humilis sanctorum querela sit, nec depressa fidelium oratio.* Si homo, inquit, hominem exaudit: si iudex impietati obnoxius, viduę lacessitæ ab aduersario, partes defendit, continua clamoris illius instantia victus, quid non facturus est Deus, propter electos suos, die ac nocte clamantes & dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas, & nõ vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? *Quid est*, inquit Gregorius, *animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium.* Ergo *non laudis, hæc vox est*, secundum Bernardum, *sed precis sanctorum, corporum suorum resurrectionem flagitantiũ.* Hoc ipsum, totidem ferè verbis, testatur Berengardus æqualis fere Bernardi, cuius illa sunt Commentaria in Apocalypsim Ioannis, quæ Ambrosij nomine, anno quinquagesimo quarto, in lucem prodierunt. *Scimus*, inquit, *sanctos Dei diem vltimum desiderare, in quo & corpora, & mercedem plenam laborum suorum, à Domino percipient.*

Lucæ 18.

Hylarius in Psal. 118.

Apocal. 6.

Gregor. li. 2. mora. ca. 6.

Bernard. ser. 2. & 3. de omnib. sanctis.

Berengãdus in Apoc. scripsit cõment. Hũc frequẽter citat D. Catthusia. in Apocal.

cipient. Nam hunc diem Dominus, etiam viuentibus, desiderandum esse, discipulis suis manifestauit, cum si-
Lucæ 21. *gna diei iudicij prædiceret, dicens: Cum autem videbitis hæc fieri, respicite, & leuate capita vestra; quoniam appropinquauit redemptio vestra. Et in oratione Dominica*
Matth. 6. *aßidue petimus, Adueniat regnum tuum.* Quod autem & viui, aduentum magni illius diei accelerare desiderent, & quare, vt veniat Do-
Berengādus in Apoc. 14. in fine. minus, ad ipsum iugiter clament, dicit alibi idem Berengandus. *Viri,* inquit, *sancti videntes quotidie genus humanum a dæmonibus decipi: videntes etiam impios florere; mundumq; semper ad deteriora dilabi, orant, vt dies iudicij veniat, in quo, & nequitia dæmonum, cum suis authoribus pereat: & omnis præuaricatio cum ipsis præuaricatoribus, accipiat finem; & adducatur iustitia sempiterna, quæ nullo fine terminabitur.*
Iacob. 5. 3. Reg. 17. Lucæ 4. Si itaque tam efficax oratio fuit vnius, vt Helias, mortalis adhuc, solusque orans Deum, impetrare potuerit, vt in trium annorum spatio, & sex mensium, non plueret super terram, quantæ esse potentiæ, quantæ virtutis, quantæq; prærogatiuæ arbitrabimur & multiplicatam, & vnanimem, & continuam illam sanctorum Dei supplicationem, vbi nec corporea moles, liberum excludit accessum in Deum, nec iustæ petitionis effectui, vllus inæqualis affectus impedimentum ponit?
* Ambrosi. in Lucā. ca. 23. Beda lib. 5. in Lucā. ca. 70. Cæterum, quamuis Ambrosius dicat, quod, ob impietatem hominum, sæculi finis est futurus; & Beda putet, quod *cum omnipotens con-*

ditor

ditor in figura filij hominis apparuerit, tanta erit raritas electorum, ut non tam ob clamorem fidelium iniustè damnatorum, quàm ob eorum torporem iustè damnandorum, totius mundi sit acceleranda ruina : non minus tamen credendus est Deus, paucorum iustorũ merita diligere, quos perenni secũ clarificare cupit in gloria, quam scelera multorũ iniquorum odisse, quos iustitia vindice, ad perpetes gehennæ flammas cogitur ablegare. Non igitur error est, si crediderimus orationibus sanctorum, statutum iudicio, tempus posse breuiari, cùm itidem ex scriptura sacra videamus, quod propter humilem Abrahæ precem, interitum Sodomæ & Gomorrhæ, aliarumq; vicinarum ciuitatum, prolongaturus fuisset Deus, si vel decem iustos, in quinque ciuitatibus inuenisset. Tunc Abraham pro viuentibus viuens intercesit, Deiq; iustam vindictam iustus ab iniustis auertere studuit, sed nulli dubium esse potest, quin modò corpore mortuus & spiritu Deo viuens, ipsum iugiter interpellet, ne ineuitabilem iudicij extremi censuram diutius prolongari permittat. Scit enim pater noster Abraham, & in Deo verè, pleneq; cognoscit, in illum, Christianam Rempublicam, cardinem deuolutam, vt quamplurimi, neque Moysen, neque Prophetas; quid Prophetas dico? neque Christum, neque Christi Euangelium magni faciant.

Genes. 18.

Lucæ 16.

QVIN

QVIN & tantam vbique impietatem, tantam cordis cæcitatem, carnisque voluptates regnare, vt; si qui etiam à mortuis resurrexerint, tormentaque, quæ impijs, post hanc vitam, restāt, prædixerint; paucissimi futuri sint qui vitam suā, in melius emēdaturi videātur.

ORARE igitur credendus est Abraham nec solus quidem ipse, sed & omnes Apostoli, Martyres, confessores, virgines; quique ab oriente & occidente venerunt, recumbentes

Matth. 8. cum ipso, & Isaac, & Iacob, in regno cælorum ne amplius parcat humano generi Deus, ne vindictam sanctorum suorum diutius differat; & malos de medio auferre; vniuersamque carnem, vt semel aqua, sic nunc vindice flamma, perdere extinguereq́; non postponat.

SI enim principium nascentis mundi quando rara adhuc hominum turba; quando vix centesima, aut millesima mundi pars inhabitata fuit, tanta iniquitate, tantaq́; corruptione carnis exundauit, vt commune aquarum diluuium, vniuersa super terram viuentia meruerint, quid de eius præcoci senectute dicemus? quando cum multiplicatione hominum, multiplicatæ sunt simul & species vitiorum; quæ, tanto medij interuallo, diuersitatem grauitatemq́; delictorum ante diluuium superant, quanto tempus à diluuio vsq; modo, & frequētiores homines habet & annos, quam illud tempus habuit, quod à mundi condi-

Mundi senectus.

condito vſque ad diluuium fluxit. Legimus in Geneſi, poſtquam vidiſſet Deus terram eſſe corruptam; omnis quippe caro corruperat viam ſuam, ſuper terrã, quod dixerit ad Noë, virum iuſtum atque perfectum in generationibus ſuis: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Non enim permanebit ſpiritus meus in homine inæternum, quia caro eſt. Quare delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animãtia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos. Quanquam nulla ſpecialia, certáve peccata, in illo capite, exprimantur, propter quæ diluuium venit; tamen, quia homo caro, & omnis caro viam ſuam corrupiſſe dicitur; & quia filij Dei ad filias hominum ingreſsi perhibentur, intelligenti intelligi datur, quòd effrenis carnis voluptas, immoderatusq; connubiorum vſus, quæ non amor prolium, ſed fœminarum copulabat pulchritudo, præcipua deletionis mundi, cauſſa fuit. Geneſ. 6.

CAETERVM ſi tũc peccata carnis, in tam raris hominibus, tantopere Deo diſplicuerũt, vt; quod hominem fecerit, ſe pœnitere dixerit, an non multo magis nunc eum pœniteat, non ſolum quod fecerit, ſed & redemerit hominem, cum totus penè mundus, millies mille hominum myriadibus plenus, ad carnem,

ad vo-

ad voluptatem, ad abominandos membrorum sensuumq; abusus, procliuis ruat; atque libidinum facibus incensus, nulla ratione, nec sexus, nec sanguinis, nec priuatæ conditionis habita, in perniciem æternæ caliginis cæcus ac demens seipsum præcipitet? Heu quæ non immerito cruētis lachrymis deploremus exilium ecclesiæ Dei desolatissimum, in quo ipse filios hæreditatis & sortis suæ; populum quem elegit, cum filiabus hominum perniciosam non solum, sed & grauissimo scandalo obnoxiam vitæ societatem ambire cernit & tolerat; in quibus non tam communem conditionis humanæ naturam, quàm raram corporis pulchritudinem, (ne quid peius dicam) venerantur.

Protestatio & oratio authoris. CAP. X.

Esaiæ 40. Psal. 7. TV qui summus potensq; Deus es, qui metiris pugillo aquas, & cælos palmo ponderas, qui corda omnium renesq; scrutaris, tu Pater clementissime, intima nostra & occulta cernens, nouisti, quæ in domo tua abominationis congeries: quæ filiorum tuorum præuaricatio: quod plebis tuæ ad omne malum, effrenatæ cogitationis studium sit. Fleuit olim, vt legimus, propheta tuus, populi non sancti ca- Ieremias in Trenis.

puiuita-

ptiuitatem, in Babylonem trāſportati; ſed minus corporis captiuitas, quàm carnis voluptas: minus membrorum, quàm ſenſuum infirmitas deplorāda venit. Nos iam tempus adeſſe cernimus, quo non immeritò ſimplex piusq; populus ſuos patronos: ſquallentia altaria ſacerdotes; deſolatæ Eccleſiæ paſtores: vacua monaſteria religioſos; ſubuerſæ mutatæq; cathedræ Epiſcopos ſuos defleant; quia omne caput languidum, & à planta pedis, vſq; ad verticem, non eſt in nobis ſanitas. Te igitur benigniſsime Deus, & nos ſupplices oramus, fac cito vindictam electorum tuorū, adueniat regnum tuū feſtinanter, ab æterno, vocatis ſanctis præparatum; ne tota gens pereat. Eſt tibi arca Noë, de viuis tabulis ædificata, hæc eſt eccleſia triumphās, conſolationis diuinæ, & æternæ quietis plena; in eam iube ſignatos in fronte conſcendere, donec pertranſeat furor tuus. O *Deus altiſsime, qui ſolus ſine peccato es*, exclamo cum Ephræem quondam famulo tuo, & *oro, tribue mihi peccatori gratiam, in illa hora tremendi aduentus tui, propter multas miſerationes tuas, ne tunc appareat, quæ nunc velata eſt,*

Eſaiæ 1.
Lucæ 18.
Matth. 5.
Ioan. 11.
Apocal. 7.
Iob 14.
B. Ephræem. lib. 3.

 impie-

impietas mea, coram spectoribus Angelis, & Archangelis, prophetis, & Apostolis, iustis & sanctis; sed salua me impium gratia & miseratione tua; & induc me in paradisum deliciarum, cum sanctis perfectis. Suscipe obsecrationem serui tui Domine, precibus omnium tuorum, qui tibi à seculo placuerunt, quoniam tibi debetur omnis adoratio, & gloria in secula seculorum, Amen.

Prædicatio Euangelij in omnes & postremas gentes, consummationis sæculi indubitata certificatio est.

CAP. XI.

DIXI vnam, itemq; alteram rationẽ, quibus moueor (sed an rectè, quisque viderit) vt diem iudicij è vicino appropinquare credere debeam; nunc alias subiungam. Inter omnia signa, à Christo prædicta, diemq; extremum præcessura, non est aliud apertius, neq; fini propinquius, quàm est istud: Et prædicabitur hoc Euangelium regni, in vniuerso orbe, in testimoniũ omnibus gentibus. Quod est, dicere, secundum Chrysost. *in accusationem & redargutionẽ eorum, qui Euangelio credere noluerint,* vt teste Hieronymo. *Nullus sit excusabilis. Vbique,* inquit Chrysost. *prædicabitur, sed non omnes vbique credent. In testimonium autem non credentibus vbique prædicabitur, hoc est, in redargutionem, reprehensionem & testimonium.* Nam *qui,* inquit, *crediderunt, aduersus incredulos testabuntur, & condemnabunt eos.* Et tũc

Matth. 24.

Chrysostom. Homil. 10. in Matth.

Chrysostom. in 24. Matth.

veniet

veniet consummatio, id est, finis mundi. *Tunc*, inquit August. *veniet tanquam dicat, non ante veniet: sed quanto post veniet, incertum est nobis: ante tamẽ non esse venturum, dubitare non debemus.* Et est diligenter considerandum, prout Chrysost. monet, quod non dixit *cum creditum fuerit à cunctis; sed cum omnibus fuerit prædicatum. Et propterea subiunxit, in testimonium omnibus gentibus, ostendens se non expectaturum, vt omnes prius credant, & ita ipse, qui prædixit adueniat.* Sufficit enim pro manifestatione diuinæ miserationis, vt in genere omnibus mundi partibus, Euangelij sacramẽtum, pax, gratia, salus prędicetur, licet singuli quiq; ex omnibus gentibus non crediderint. Non enim omnium est, nec erit fides, sed credent, quotquot præordinati sunt ad vitam æternã. *In quibus ergo gentibus nondũ est Ecclesia*, inquit Augustinus, *oportet vt sit, non vt omnes, qui ibi fuerint, credant. Omnes enim gentes promissæ sunt, nõ omnes homines omnium gentium. Credit itaque omnis gens in omnibus, qui electi sunt ante constitutionem mundi; in cæteris non credit, & credentes odit.* Qui ergo libentes euangelium regni, gratoq; animo receperint, illis pacem dabit, salutem operabitur, & gloriam præparabit; qui verò, vel oblatum contempserint, vel receptum iam pridem, iterum vitæ improbitate abnegauerint; his ad iudicium euocandis, æternisq; pro merito deputandis cruciatibus, suum ipsorum futurũ est testimonium. Quod salutis patrocinium fuis-

Augustin. In epist. ad Hesichium 78.

2. Thessal. 3.
Act. 13.

Augustinus. Epist. ad Hesichium 80.

ſet viuentibus, ſi credidiſſent, hoc mortuis tormentum, hoc iudicandis teſtimonium, dānatis ſupplicium perpetuum erit.

CONSTAT itaque ex hiſce Chriſti verbis, quod prædicatio Euangelij in omnes gētes, hoc eſt, in poſtremos vſque populos, conſummationis ſęculi indubitata certificatio ſit. Quod & verba teſtantur Hylarij dicentis: *Abundante nequitia, charitas refrigeſcet: ſed vſque in finem perſeuerantibus ſalus reſeruata eſt; ac tum per omnes orbis partes, viris Apoſtolicis diſperſis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cum vniuerſis fuerit cognitio Sacramēti cæleſtis inuecta, tum Ieruſalem occaſus, & finis incumbet, vt prædicationis fidem & infidelium pœna, & metus ciuitatis erutæ conſequatur.* His affine eſt, quod tractans eandem, cum Hylario, ſententiam dicit Origenes: *Et in hoc ſtatu conſtitutis rebus, euangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (multi enim non ſolum barbarum, ſed etiam noſtrarum gentium, vſque nunc, non audierunt Chriſtianitatis verbum) tunc autem prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, vt nemo derelinquatur, qui non audiuit, & tunc erit ſæculi finis.* Hæc Origenes. Sunt tamen multi docti indoctiq;, qui propterea minus credunt mundi finem inſtare, quod à multis retrolapſis temporibus, multi docti & ſancti viri illud opinati ſunt, cum nihilominus tamen mundum adhuc perſeuerare, nec poſt tot annorum curricula, eius finem venire videamus. Certum vtique eſt, nec diffiteri

Hylarius, Cano. 25. ſuper Matth.

Origenes, Tractatu. 28. ſuper Matth.

fiteri possumus, quosdam sanctorum Doctorum, velut Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium probabili innixos opinioni, credidisse, non longè post sua tempora, iudicij diem affuturum, putantes prophetiam illam completam, quemadmodum & Paulus testatus est: In omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Vbi enim*, inquit Ambrosius, *præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama peruenit.* Hieronymus quoque non putabat aliquam suo tempore remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoraret. *Quanquam enim*, inquit, *non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus, opinionem fidei non potest ignorare.* Et hinc communis quædam veterum sententia fuit, vt, quia regni Euangelium, per vniuersum orbem Apostolis prædicantibus promulgatum putabant, extremum iudicij diem iam tunc instare crederent.

Roma. 10. Psal. 18.

Ambrosius in Commēt. ad Roman.

Hieronym.

Caeterum nos, qui modò viuimus, rationem dilationis extremi iudicij cognoscimus, quia hæc prophetia, non ipsorum temporibus, qui ante annos vixerunt mille ducētos, aut trecentos, impleta fuit, sed hisce nostris temporibus adimplendam audimus. Iam enim alius quodammodo, & nouus, & postremus Indorum mundus inuentus est, *amplior*, vt quidam scribit, *vniuersa Germania, Hispania, Italia, Francia; de quo Plinius nihil compertum habuit: de quo nec Ptolomæus, nec Strabo quicquam scripserunt,*

pferunt, in quo multa hominum infidelium millia, ab erroneis Idolorum cultibus, ad Christum conuerti; in Christi sanguine baptizari; & Euangelium regni, cum summa mẽtis auiditate amplecti dicuntur; apud quos fides Christiana non minus crescit quotidie, quàm apud nos decrescit. Sub huius igitur populi conuersione vereor adimplendum, sed non affirmo, quod ab ipso Christo prophetatum fuit; quod tunc scilicet, veniet sæculi cõsummatio, quando eis Euangelium regni prædicatur; quando baptizantur; quando noua Christianæ fidei religione imbuuntur: quando qui postremi fuerunt vocatione, primi deuotione fiunt. *Si ergo susciperent hunc laborem serui Dei, vt peragrato orbe terrarum, quantum possent colligerent, quod remanet gentium, vbi nondum est Euangelium prædicatum*, hinc, secundum August. *aduertere vtcunque possemus, quantum hoc tempus longe sit à fine sæculi*, quamuis certam, aut determinatam illius spatij, non possemus asignare durationem; sed tamen magis magisq; iam propinquare finem meritò diceremus.

Augustinus. Epist. 78.

Populus Indicus postremus est ad fidem Christi conuertendus: & hoc probatur ex Euangelio.

CAP. XII.

QVOD autem populus Indicus nuper inuentus postremus sit, & alius, post illum, nullus populus, ad fidem Christi cõuertendus

tendus restet, non solum ex Prophetis, verùm etiam ex Euangelio potest probari. Habemus parabolam Saluatoris, apud Lucam, de homine quodam, qui cœnam magnam fecit, ad quam vocauit multos. Et misit, inquit, seruum suum, hora cœnę, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit; Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et tertius, vxorem se duxisse, dixit; & ideo non potuisse venire. Deinde sequitur: Tunc iratus pater familias dixit seruo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cœcos & claudos introduc huc. Quo facto, & necdum conuiuij loco repleto, ait iterum seruo: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Lucæ 14.

HAEC sunt verba parabolæ; sed nos videamus, quos per vocatos, quos per introductos, quos per compulsos intelligere debeamus. Trifaria enim ad cœnam spiritalem vocatio, trifarium esse ordinem cunctorum fidelium, ostendit. Populus Iudaicus ex Abrahæ semine ortus, locuples in villis, in pecoribus, in agriculturis; & propagandæ sobolis multum studiosus, velut amicus & vicinus quodammodo Dei, ad cœnam Christi, per prophetas Trifarius ordo fidelium.

inuitatus, & per Apoſtolos vocatus fuit. Sed quia ingratus, poſtquam ſæpius inuitatus eſſet, non ſolum venire renuit; verùm & vocantes opprobrijs affecit, & contumelias in ipſos factas, etiam ſanctorũ cædibus exaggerauit; quis talem populũ Dominica cœna dignum, & non potius gehennæ pœnæ reum iudicaret? Deinde gentibus in Aſia, in Africa, in Europa verbum Dei prædicatum, regniq́ue Euangelium, per Apoſtolos annũciatum fuit. Harum enim regionum populi, in plateis & in vicis ciuitatis inuenti; velut pauperes ac debiles, cæci & claudi, ad cœnam Chriſti introducti ſunt. Cùm enim populus Iudaicus infractam ceruicem ſuaui Domini iugo ſubmittere, & illius ſeruis inuitantibus, & vocãtibus obtemperare nollet, mox relicta, ob ſuæ infidelitatis pertinaciam, Iudæa, ad gentium populos Apoſtolica prædicatio deſtinata fuit. Quod non ſine zelo quibuſdam Iudæorum,
Act.13. Paulus cum Barnaba exprobrauit; Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbũ Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes; ſic enim præcepit nobis Dominus. Conuerſa eſt ſanctorum Apoſtolorum prædicatio ad gẽtium populos, Chriſtiq́; præceptũ completũ eſt, ſed vacuus adhuc locus, in cœna Dominica, manſit: quem ſanè locum vacuũ manere, vſqueadeo non oportuit, vt ad intrã-
dum,

dum, etiam nolentes, violenta quadam humanitate, compelli iubeantur. Exi, inquit, in vias & sepes & compelle intrare; vt impleatur domus mea. Primò itaque ad cœnã Christi, hoc est, ad mysterium incarnationis diuinæ, & redemptionis humanæ cognoscẽdum, inuitati, velut amici, sunt Iudæi. *Facilius enim*, vt Tertullia. habet, *domestici & familiares ad cœnã inuitari solent, quàm extranei, & nullius iuris affines.* Secundò ad eandem cœnam, expulsis Iudęis, per magnam Dei misericordiam introductæ sunt gentes; velut pauperes ac debiles, cæci & claudi. Tertiò verò & vltimò, iam noui populi Indi, qui tanquam huius terræ & futuræ exules, in vijs & in sepibus, hoc est, remotissimis mundi partibus inuenti, & ad intrãdum, non sine armis compulsi, vacuum locum supplere incipiunt. Quo reuera facto, domoque Dei impleta, propera veniet totius sæculi cõsummatio. Hoc etiam intellexisse videtur Tertullianus, qui prædictam tractans parabolam, eodem ferè diuisionis ordine, quo & nos, vsus est. In primo vocatorum genere Iudaicũ populum constituit, quem per patres vocatum dicit, & per prophetas admonitum. *Sed ecce*, inquit, *recusatio populi: Agrum emi, & boues mercatus sum, & vxorem duxi. Hoc vt patrifamiliæ renunciatum est, motus tunc, mandat de plateis, & vicis ciuitatis, facere sublectionem. Dehinc, loco abundante, præcipit etiam de vijs, & sepibus colligi, id est, nos iam de extraneis gentibus.*

Tertullianus Aduersus Marcio. li. 4.

Tertullian. Ibidem.

tibus. Et, paucis interpositis, adiungit. *Vtramq; partem inuitare venit Christus; de ciuitate, de sepibus; nec potest iam fastidiosos iudicare, quos nunquā retro inuitauit, quos cum maxime aggreditur, aut si de futuro eos iudicat, contempturos vocationē, ergo & sublectionē, loco eorum, ex gentibus de futuro portendit*. Quibus verbis hoc se sensisse (vt opinor) testatur Tertullianus, quod Christus non solum notitiam sui, fideiq; gratiam illis primis gentibus communicauerit, quas Asia, Aphrica, & Europa comprehendit, sed quod etiam alijs communicaturus esset, quas, quasi de sepibus, hoc est, abstractissimis mundi partibus congregari iuberet. Quæ, quia priores gentes, quæ nos sumus, vocationem suam contempturæ essent, in earum locum Dei dono & gratia subligerentur. *Plane*, inquit, *ad hoc secundò venturus est*, videlicet Christus, *vt gentibus prædicet*. Vtq; sciremus quando gentibus esset secundò prædicaturus, adiunxit. *Et si venturus est autem, puto non quasi vocaturus adhuc conuiuas, sed iam collocaturus*: ostendens se credere quòd tunc demum extremis gentium populis, veritas Euangelij & fides in Christum prædicaretur, quando ipsa totius mundi consummatio intantum appropinquaret, vt residuæ gentes, quas Indos dicere possumus, non tam vocari vt conuiuæ, quàm vt ciues, & domestici Dei, in electorum asscribi numerum; & quasi in cœna æternæ fœlicitatis collocari videantur. Quid ergo

de

de consummatione sæculi, quasi nondum adsit, dubitamus? cur quod vetustissimus Tertullianus à longe prospiciens futurum prophetauit, nos, præ oculis cernentes, non admiramur, non credimus? Certè si quispiam paterfamilias, vespertinas nuptias filio præparasset, & iam aliquandiu in atrio, aut vestibulo domus, aduentantes paulatim amicos expectando, stetisset; puto, quòd post ingressum omnium, ianuas occludi iuberet; seque protinus ad conuiuij locum recipiens, omnibus assignaret, cuique pro sua vel dignitate, vel ætatis qualitate, discumbendi ordinem. Quid igitur obstat, cur nos sperare non possumus, aut, vt tutius loquar, formidare non debeamus, quod ipse cælestis familiæ Pater, in magnis dilecti filij sui nuptijs, idem breui facturus sit? ad quas, cùm iam postremo non inuitati, non introducti, sed compulsi accesserint, & quod in Ecclesiæ domo vacuũ manserat, suppleuerint, tunc demum occlusa & rerum & temporum ianua, diligenti oculorum examine perscrutabitur, quis dignè, quisve indignè ad nuptias suas ingressus sit.

Idem & hic probatur, ex quo dies iudicij instare colligitur. CAP. XIII.

HVC enim spectat, quod ipsemet Ecclesiæ sponsus, apud Matth. docuit in eadem, vt Matth. 22.
quidam opinantur, aut simili parabola, quam

Lucas

Lucas ſuperius deſcripſit. Sed hoc apud Matthæum additur, quod egreſsi ſerui Regis in vias, congregauerunt eos, quos inuenerunt malos & bonos; & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium: quodq; intrauerit rex, vt videret diſcumbentes, & vidit, inquit, ibi hominẽ non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habẽs veſtem nuptialem? Quo non reſpondente quicquam, ſed obmuteſcente, dictum eſt miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Quamuis hic per nuptias, præſentẽ Eccleſiam deſignari, cum multis Doctoribus dicat B. Gregorius, non reluctatur tamẽ omnino, imò ex parte aſſentiri videtur illorũ opinioni, qui, quod ſcopus huius parabolæ eodem tendat, dicunt, quo illa, quæ ab Euangeliſta Luca per cœnam eſt deſcripta; & æternæ fœlicitatis gaudium repræſentat. Vt vt eſt, ſiue res eadem ſit, ſiue diuerſa, nos hic nihil moramur. Sufficit authoritas vnius Hylarij ad id, quod nos volumus, comprobandum, qui has nuptias *vitæ cæleſtis, & in reſurrectione ſuſcipiendæ æternæ gloriæ, ſacramentum eſſe dicit.* Quandoquidem ergo, quæ in fine huius habentur parabolæ, de iudicij tempore & reſurrectionis, vt dicit Hylarius, locutus eſt Christus: vt eſt regis ingreſſus ad diſcumbẽtes, poſtquam intrauerant, qui in exitibus viarũ erant inuenti; quod

Hylarius.

quod vnum ex omnibus, ſolum ex multis vidit, qui, *veſte ſordida, munditias polluerat nuptiales*; quod illum miniſtris ligare, ligatumque in tenebras mittere iuſsit exteriores, quod fletum ibi, dentiumq; ſtridorem futurum pronũciauit; neſcio quid aliud hinc colligere debeamus, quàm quod tunc, horrenda iudicij dies, ſtrictumq; illud, quod de vniuſcuiuſque conſcientia fiet, examen inſtabit, quando ille populus, qui in extremis orbis partibus, à conditoris ſui notitia regnoq; exulauit, ab errore ad veritatem, à tenebris ad lucem, ab iniquitate ad iuſtitiam fuerit reuocatus. Sicut enim eſſet præter rationem humanæ conſuetudinis, & amicitiæ vſum, ſi rex ante intraſſet in conuiuium, cum quibuſdam tantum ſeorſum epulaturus amicis, priuſquam omnes inuitati, & non ingrati acceſsiſſent; ſic ſtolidæ quoque mentis in eo fuiſſet indicium, & negligentis animi argumentum, poſtquam nullum eorum, qui venire & debebant & volebant, reſtare cognouerat, ſi diutius expectando, ingreſſum ſuum, ad omnes inuitatos & paratos, diſtuliſſet. Quare probabiliter credendum atque formidandum eſt, non lõgius extremum diem differendum, quàm donec Indicus ille populus, ex Euangelio regni fidem in Chriſtum audierit, æternæque ſuæ ſalutis cognouerit ſacramentum. Hieronym.

Prædictis

Prædictis non repugnat, quod per Heliam Iudæi prius conuerti debeant, quorum velox erit & breuis conuersio.

CAP. XIIII.

NEQVE verò est, cur quisquam putet hoc ideo minus esse credendum, quod diuina promißio, quæ est in Malachia, de cõuersione Israelis, per Heliam futura; & Pauli vaticinium de saluandis tunc Iudæorum reliquijs, cum gẽtium plenitudo intrauerit, prius compleri, & sæculi consummationem præcedere debeant. Licet enim pro certo tenere debeamus, quod Helias cum Enoch, vel cum Moyse (vt quidam opinantur) venturus sit, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, qui restituet omnia, conuertens corda patrum in filios, & corda filiorum in patres eorum; quodque tunc omnis Israel saluandus saluus erit, cum gentium plenitudo intrauerit; non tamen propterea credere cogimur, quod hoc nequaquam futurum sit, nisi post magnum temporis interuallum, cunctis prius gentibus plenè ad Christum conuersis. Imo verò vtrunque hoc, vno eodemque indiuiso tempore, fieri posset vt simul & restãtes gentium populi, & Iudæorum reliquiæ conuerterentur. Sicut in exordio nascentis Ecclesiæ, paulatim quidam ex gentibus, & quasi in silentio, vnà cum Iudæis vocatis & electis, conuertebantur, Apostolis, non ita procul à

Malach.4.
Roma. 11.
Malach.4.

Iudæa

Iudæa Euangelizātibus. Ita enim vir Aethiops (vt in Actis est) & Cornelius Centurio, cum multis alijs, conuersi sunt ad fidem; quando necdum regnum Dei à Iudæis ablatum fuit. Et Christo adhuc superstite, mulier credit Chananea, Syrophænissa genere. Samaritana prophetam eum confitetur; &, in mentis dubio, Christum agnoscit: gentiles dicunt Philippo: Domine, volumus Iesum videre. De quorum fide lætatus Iesus, ex illa se hora à Patre saluificari optauit, quia filium hominis etiam in gentibus clarificatum vidit. Mori (ni fallor) ex tunc, & crucem subire fuit paratus, cùm fructum suæ passionis, per gentilem populum, in fide præuentum audiuit, quem ipsi Iudæi, sua peruersitate, incassum haberent & negligerent. Sic forsitan, vt & corpus suum mysticum, quod est Ecclesia, cuius ipse caput est, saluificari continuo in gloria posit, celeriter aduenire optabit iudicium, vbi primum reliquiæ Israelis, velut debitum corporis sui supplementum, vnà cum postremis gentibus, fidei lumen intueri, & Euangelio credere cœperint. Acto. 8. Act. 10. Matth. 15. Ioan. 4. Ioan. 12.

CERTE, si non citius conuertantur Iudæi, quàm ipsis palam Helias prædicare cœperit, non diuturna ipsorum conuersio, sed velox & subitanea erit. In tribus enim annis & dimidiato, ipsius prædicatio terminabitur, prout Danieli in veteri, Daniel. 12.

Ioan-

Apocal.13. Ioanni in nouo Testamento, ostensum cœlitus fuit. Si autem prius, quàm Helias venerit, quidam illorum Iudæorum, qui pasśim agunt dispersi inter gentes, in Ecclesiæ gremiũ colligi debeant, non est, cur aliud tempus opportunum magis ipsorũ conuerśioni expectandũ putemus, præter id, quod præsens agitur, quũ nunc in Indico orbe ipśi simul cum Mauris & Turcis, pridem adhuc infidelisśimis, ad Christianam fidem accedere, sacroq; baptismate ablui referantur. Nihilominus tamen, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, etiam Helias propheta mittẽdus est eis, qui sub id tempus, Iudæam incolent; qui finito legationis suæ testimonio, in ciuitate magna, quæ vocatur, spiritualiter, Sodoma & Aegyptus, vbi Dominus illius, & noster crucifixus est, martyrij palmam inueniet. Non enim capit prophetam perire extra Ierusalẽ. *Per hunc ergo Heliam magnum mirabilemq; prophetam, exposita sibi lege;* vt dicit August. *vltimo tempore, ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusq; fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis Saluatoris, non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc viuere non immerito creditur.* Licet itaque Helias venturus credatur, licet Iudæorum reliquiæ conuertendæ prædicentur, cùm gentium intrauerit plenitudo; non tamen hoc, nisi secretò & sensim futurum existimandum est,

Malach.4.

Apocal.11.

Lucæ 13.

Augustin.li. 20.de ciuita. cap.29.

est; ita vt totus ferè mundus, in dubio & in incerto iudicio suspensus hæreat, de persona Heliæ, & de tempore conuersionis Israelis. Quemadmodum de persona Ioannis Baptistæ, & maxime Iesu, non parua etiam inter doctos, erroris contentio fuit; quibusdam credentibus de Ioanne, quòd esset Messias; alijs Ioan. 1.
verò de Iesu id negantibus; quia non de Galilæa venturus sperabatur Christus, sed ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid. Interim tamen, neq; Ioannes Mes- Ioan. 7.
sias inuentus est, neque Iesus Helias, quem homines ipsum esse dicebant, sed in vtroque, Matth. 16.
magno errore, delusus fuit mundus, ita vt hic esset, quod negabatur; ille, quod putabatur, non esset. In simili errore teneri possent & illorum mentes, qui sub extremum tempus, quo Helias veniet, victuri sunt, vt licet ille, non ambigua de se, quòd ipsemet Helias sit, indicia exhibiturus sit, non tamen omnes crederent; sed aut in personæ, aut in temporis eius dubio vacillarent. Quid igitur est, quòd tam multi, etiam ex doctis, omnem iudicij metum, in illam vsque diem suspendendum, & ab animo prorsus humano reijciendum existimant, qua terrores de cælo audiri: prodigia in astris & elementis videri incipiēt; qua cum publica fama, crebri notiq; rumores, non passim, sed vbiuis terrarum spargantur, de conuersis Iudæorum reliquijs, de nato

Antichristo; de manifesto Heliæ & Enoch aduentu; nisi quod summopere verendum sit, ne illisipsis hominibus, qui ita securè sine iudicij timore viuere volunt, ipse summus iudex ad iudiciũ, cum intolerabili, superueniat non expectatus, horrore. *In quo vtique iudicio, vel circa quod iudicium,* secundum August. *has res didicimus esse venturas & futuras; Heliam Thesbitem; fidem Iudæorum; Antichristum persecuturum; Christum iudicaturum; mortuorum resurrectionem bonorum; malorumq́ diremptionem; mundi conflagrationem, eiusdemq́ renouationẽ.* Quapropter vigilemns oportet, & timeamus ne nudi, aut non veste nuptiali induti è cælestibus nuptijs in tenebras exteriores, prouoluamur cum illo, cui subito omnis promerendi facultas, & pœnitẽdi deinceps occasio sublata fuit. Hoc supradicta parabola docet nos, hoc monet extrema temporis reuolutio; in quo nunc boni & mali, per vniuersum Indicum orbem, in Ecclesiæ sagenam congregantur; pœnitentibus simul quibusdã Iudæis, & ex toto ibi corde credẽtibus, quod Iesus, qui sub Pontio Pilato passus & sepultus est, Messias sit, & verus filius Dei.

Augusti. lib. 20. de ciuita. cap. 30.

Quod triplex fidelium ordo in Ecclesia futurus esset, probatur ex Euangelio, horum vltimi Indi sunt.

CAP. XV.

QVOMODO autem ista Iudaicæ nationis propago, in illam mundi abstractissimam

mam plagam venerit, & quando venerit, in secundo lib. referemus, vbi prius hîc, & alia duo de Euangelio, & vnum ex propheta, testimonia præmiserimus, quę in idem illud coincidere videntur mysterium, quod paulò antè proposita, de cœna parabola ostendit. Diximus ibi trifariam, ad cœnam spiritalem vocationem ostendere trifarium ordinem fidelium, in Ecclesia Christi futurorũ; ex Iudæis, Christianis & Indis, qui varijs, diuisisque temporibus, non simul in regnum Dei vocarentur. Hoc etiam & sequentia confirmant, vt est illud imprimis, quod, apud Matthæum, Christus per parabolam docuit, de homine qui peregre profecturus tradebat bona seruis suis augmentanda: dans vni quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, vnicuique secundũ propriam virtutem. Hic Diuus Hylarius, triplex hominum genus insinuat, quorum primum, populum ex lege credentium, esse dicit, *qui talis*, inquit, *in fide repertus est, qualis fuit in lege, ex qua profectus, meritum ipsius*, scilicet legis, *rectè probeq; perfunctus, euangelicæ fidei operatione duplicauit.* Per alterum verò seruum, cui duo talenta cõmissa sunt, gentium populum intelligit, qui corde credidit ad iustitiam, ore autem, Christum Deum, atque hominem, & spiritu & carne, confessus est ad salutem. Qui verò vnum talentum accepit, & in terram recondidit, *populus est*, ait, *in lege persistens, totus carnalis, & stupi-*

Matth. 25.

Hylarius.

Roma. 10.

dus, nihil ſpirituale intelligens. Sic Hylarius. Cæterum, ſi mihi veniam apud beneuolos fidosq́; lectores, concedendam ſcirem, qui temeritati meæ, imò fidei neſcienti menſuram ſuam, fauere magis debent, quàm iraſci, aliam hic de tribus ſeruis, allegoricam intelligentiam ſtatuerem; vt per illum, qui quinque talenta acceperat, & lucrifecit alia quinq; , dicatur populus eſſe Indicus præfiguratus, qui, vt fuit nouiſsimus tempore, & infidelitate obcæcatiſsimus, ita charitate feruentiſsimus, & operandi diligētia, ſtudioſiſsimus erit. Sicut Paulus Apoſtolorum nouiſsimus, qui ſe tamē in-
1.Corint.13. dignum vocari Apoſtolum, ob enormitatem
2.Corint.11. præteritorum delictorum, ſenſit, exiſtimat ſe
1.Corint.15. nihil minus feciſſe à magnis Apoſtolis; quin,
1.Thimo.1. abundantius ſe illis omnibus, laboraſſe dicit. Non ego autem, inquit, ſed gratia Dei mecū. Sed vnde tibi Paule, tanta Dei gratia, cùm te primum inter peccatores, hoc eſt, excellētem in peccatis inuentum, & abortiuum cōfitea-
1.Corint.15. ris? Audi. Vbi abundauit delictum, supera-
Roma.5. bundauit & gratia. Prius blaſphemus fui, &
1.Thimo.1. perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini noſtri, cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hic Paulus, licet perſecutus fuerit eccleſiam Dei, vſque ad mortem, al-
1.Corint.15. ligans & tradens in cuſtodias viros ac mulieres,

res, licet concluſerit in carcere, & ceciderit, per Synagogas eos, qui credebant in Ieſum, educens è Damaſco vinctos in Ieruſalem, vt punirentur; poſt miſericordiam conſecutam non veritus eſt dicere: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Sed tibíne ſoli Paule corona iuſtitiæ repoſita eſt? Non ſolum autem, inquit, mihi, ſed & his, qui diligunt aduentum eius. *Quis autem*, (querit Theophylactus) *diligit eius aduentum?* reſpondet, *qui digna eo facit. Quare qui non facit, non videtur diligere apparitionem, aduentumq; eius.* Act.22. 2.Thimo.4. Theophyl.in eundé locũ.

ITAQVE nulli magis dicendi ſunt diligere aduentum beati Dei, quàm, qui ad fidem nunc conuertuntur Indi; quia quo ſerius illi in vineam Domini veniunt; quoque propinquiores fini ſunt, eo promptiores ad obediẽdum Euangelio, &, circa ſuam ſalutem procurandam, alacriores exiſtunt. Iam enim propior eſt ipſorum ſalus, quàm cùm nos credidimus. Denique, ſi, cui minus peccatorum dimittitur, minus diligit, certè plus diligent Indi, quibus plura peccata dimittũtur, vt qui ad finem vſque mundi, per ſe, & per patres ſuos, à tantis temporibus, in omni peccatorũ genere, & profundiſsima incredulitatis ſuæ ignorantia perſtiterunt. Si autem plus diligũt, plus etiam lucri facturi ſunt. Quia abundan- Roma.13. Lucæ 7.

tiori dilectioni debetur abundantius præmium. Et propterea quinque talenta lucri fecisse dicuntur, iuxta typum serui, primò suum lucrum Domino repræsentantis; quia dum maior illis gratia & misericordia exhibetur, in remissione maiorum criminũ, quasi quinque etiam talenta accepisse videtur. Nos verò Christiani, habentes adhuc doctrinam legis & Euangelij, in altero seruo, cui duo talenta commissa sunt, præfigurati sumus. Quia sicut ex vna parte, maiorem à Deo gratiam accepisse videmur, quod ad fidem vocati sumus, cum gentes essemus, illo in tẽpore, sine Christo: alienati à cõuersatione Israel, & hospites
Ephe. 2. testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo; quam Iudæi, quorum patribus tanquã hæredibus regni, repromissio facta fuit; sic ex parte altera, ob culpam nostram, minorem adsecuti sumus gratiam, quàm Indi perseueraturi in fide & charitate; in Euangelio, & regno Dei; quum
Matth. 24. de nobis à Christo prędictum sit: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et iterum: Veruntamen filius homi-
Lucæ 18. nis veniens, putas, inueniet fidem in terra? intellige Christianorum. *Videmus enim*, inquit Cypria. *fieri, quod ille prædixit: In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat; diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormen-*

Cyprian. de simplicitate prælatorum in fine.

tormenta, nemo considerat. Quod metueret conscientia nostra, si crederet, quia non credit omnino, nec metuit. Si autem crederet, & caueret, si caueret, euaderet. De illis verò: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Et iterum apud Esaiam: Lætabitur deserta, & inuia; & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi.

Ioan. 10.

Esaiæ 35.

NIHILOMINVS, quicunque ex nobis, fide & charitatis operatione instructus, iuxta legis & Euangelij regulam, perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, duplicatum nimirum reportaturus suum talentum. Sed qui ex defectu charitatis, & fidei, super fundamentum Apostolorum & prophetarum, nihil præter fænum, & lignum, & stipulam ædificarunt, hi commissorum talentorum detrimentum patientur, ipsi autem salui erunt, sic tamen, quasi per ignem. Verum non ita cum Iudaico populo erit, qui in vna legis litera, quasi in suo talento ociosus persistit, totus carnalis, & stupidus, nihil spirituale intelligens. Cum enim solam legis obseruationem sufficere sibi crederet ad salutem, *noluit virtutẽ prædicationis euangelicæ subire, sed propter inuidiam saluandarum*

Matth. 24.

Ephe. 2.

1. Corint. 3.

darum gentium, vt Hylarius dicit, *in terra receptum talentum abſcondit*. Legem quidem tenuit, & defendit, ſed non adimpleuit; ſicut increpans illos Dominus dicit: Nónne Moyſes dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Nolite ergo, inquit, putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit. Hoc doctores Iudæorum ignorare non potuerunt, quid in lege & prophetis ſcriptũ eſſet de Chriſto; quia per omne ſabbatum legebãtur. Nam Philippus necdum vocatus Apoſtolus, homo ſimplex & idiota, ſed in lege paterna, ex auditu inſtructus, dixit Nathanaeli: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Veruntamen & ex principibus, vt Ioannes dicit, multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non cõfitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Horum typum geſsit è duobus filijs, ille, qui patri ſuo, vt in vineam iret, imperanti, dixit, eo pater, & non iuit. Dicunt enim (ait Dominus) & non faciunt. Si non veniſſem (dicit alibi) & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem nõ habent de peccato ſuo. Quapropter multi ab oriente & occidente venient, & recumbent

cum

Ioan. 7. Ioan. 5. Act. 13. Ioan. 1. Ioan. 12. Matth. 20. Matth. 23. Ioan. 15.

cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8.
Quia seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Lucæ 12.
Certè non ignorabat volũtatem Domini sui, qui dicebat: Domine, scio, quia homo durus es; metis, vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes, quod tuũ est. Hoc Iudæus, opinor, dicet, qui lege suscepta legitimè vsus non est, nec alijs vtendam dispensauit. *Qui cum Christum Dominum, ad salutem gentium missum fuisse, non posset abnuere, nam & aduentus & passio eius* (inquit Hylarius) *ex lege est*, obtemperare tamen Euangelijs ipse noluit, licet sciuerit metendos illic iustitiæ fructus, vbi lex sata non sit, & colligendos ex gentibus, qui non ex Abrahæ sint stirpe dispersi. Vnde durum hominem Dominum suum appellabit, vt qui sine lege iustificauerit, sine dispersione collegerit; & sine satione Indorum populos, & Christianorum messuerit. *Sed ideo hoc magis, sine venia erit,* (libenter enim Hylarij verbis vtimur) *cur prædicationem occuluerit, & commissum sibi talentum suffoderit, cum sciret messurum esse sine semine, & collecturum esse, quæ non sparsit.* Nam ex quo talem Dominum suum præsciuit, oportuit eum maxime nummularijs committere Matth. 25. Hylarius.

pecuniam eius, vt ille veniens, quod ſuum eſt, cum vſura recipere poſſet. Ob quàm culpam talentum ab eo non tam Euangelij, quam legis auferetur, eique, qui quinque duplicauerit, dabitur; & ſeruus inutilis eijcietur in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium.

Matth. 25.

Ex altera ſcriptura trifarius etiam credentium ordo oſtenditur. CAP. XVI.

OSTENDIMVS nunc in typo trium ſeruorum, trifarium populum, ex quo regnum conſtat militãtis Eccleſiæ, deſignatum; quem etiam tria ſata farinæ, (teſte Auguſtin.) ſignificare videntur, in quibus mulier illa, acceptum fermentum abſcondit, donec fermẽtaretur totum. Quæ enim hæc mulier eſt? niſi Sapientia Dei, attingens à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter: quæ acceptum fermentum, verbum ſcilicet ſuum, ſiue Euangelicam Philoſophiam, abſcondit per occultam & internam Spiritusſancti operationem, in farinæ ſatis tribus, hoc eſt, in triplici hominum genere, qui de Sem, Cam, & Iaphet prodierunt; vt eſt Iſraelita, Græcus, & Barbarus: Iudæus, Chriſtianus & Indus, donec fermentetur totum: donec ipſa vis Euangelicæ prædicationis, illorum omnium animos penetrauerit, & in cæleſtis vitæ imaginem transformauerit, qui vniuerſo terræ ambitu

Auguſtin. De verbis Dñi ſerm. 32. Matth. 13. Lucæ 13. Sapien. 8.

bitu comprehensi, ad vitam æternam præordinati sunt. Tantisper enim durabit præsentis Ecclesiæ status, donec prædicantium sonus in omnem terram exiuerit, & in fines orbis terræ verba eorum: donec istud compleatur. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gẽtibus. Item illud: Et eritis mihi testes, in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et quod Osee dicit: Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Vult enim dicere propheta, quod Ecclesia, cuius typum ciuitas, supra montem posita, gerit, quasi in otio aliquandiu steterit, postquam in primis gentibus, euangelici fermenti cum farina legis commixtio facta fuit; expectans nimirum, donec reliquarum omniũ gentium, quæ nostro nunc sæculo conuertuntur, noua cõspersio fiat, in azymis synceritatis & veritatis.

Roma.10. Psal.18. Matth.24. Act. 1. Oseæ 7. Matth. 5. 1.Corint. 5.

Idem quoque ex Zacharia declaratur.

CAP. XVII.

AD idem videtur pertinere mysteriũ, quod Zacharias, de tribus partibus paruulorũ, qui in omni terra essent futuri, prophetauit. Duæ, inquit, partes in ea dispergentur, & deficient; quod de illis dictum opinor, qui partim olim ex Iudæis, partim modò ex Christianis, per varias errorum dispersi sunt vias, non

Zacha.13.

non vagantes vt oues, ſed velut tauri pingues
Pſal.21. à pœnitentiali labore deficientes, & ab aratro
retrorſum reſpicientes, Chriſtiq; margaritas
Lucæ 9. pedibus, qui veloces ſunt ad effundendũ ſanguinem,
conculcantes: & tertia pars relin-
Matth.7. quetur in ea, hoc eſt, in terra. Et ducã tertiam
partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur
Pſal.13. argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum,
quod conſequenter de Indorum populis,
puto intelligendum. Quia ipſorum corda
non aqua tribulationis circundabuntur, ſed
charitatis igne accendẽtur, de quo Dominus
Lucæ 12. in Euangelio dicit: Ignem veni mittere in
terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Sicut
autem per ignem, argentum vritur, & aurum
probatur; ſic Indicum populum, qui nõ
diſpergetur per hæreticorum errores, nec à
fide ſuſcepta deficiet, ſe probaturum, per charitatis
feruorem, promiſit Dominus. Ipſe, inquit,
vocabit nomen meum, & ego exaudiam
eum. Et dicam, Populus meus es, & ipſe dicet:
Domine Deus meus. Hæc quoque Iudæi
Hieron. ibid. in Commẽt. ad Chriſtum referunt, vt dicit Ieronymus in
Commentarijs, & in vltimo tempore futura
contendunt; quando credẽtium populus vocabit
Chriſtum nomine ſuo, & illo dicente:
Tu es populus meus, populus reſpondebit:
Dominus meus es tu.

Aliquot

Aliquot scripturæ explicantur in eandem ferè currentes mysterij rationem. CAP. XVIII.

SICVT autem supradicta tria testimonia, de tribus seruis, de tribus farinæ satis, & de tribus partibus, quasi typum ostendere vidẽtur hominum trifarij generis; sic alia sequentia figuram, fortassis gerunt, illorum temporum, in quibus prædicta tria hominum genera, aut saltem, quidam ex ipsis, in albo fidelium conscriberentur. Est quædam admonitio Saluatoris nostri apud Lucam, quę similitudinis habet speciem; in qua Christi fideles, qui Dominum venturum credunt, & expectant, (quia quando venturus sit ignorãt) assimilantur seruis, Dominũ suum, de nuptijs reuersurum, expectantibus; vt cum ille venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Deinde totum illud temporis spacium, quod à Christi labitur passione, vsque ad finem mũdi, velut militum excubiæ in tres vigilias distributum est. In quarum prima dicebatur: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius; &, habitatio eius in Sion. &: In viá gentium ne abieritis & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potius ad oues, quæ perierunt domus Israel. Sed quia obdormire cœperunt Iudæi; imò suas aures obturare, sicut aspis surda, vt non audirẽt vocem benefici Stephani incantãtis eos sapienter, succeßit secunda vigilia, in qua dicitur:

Lucæ 12. Psal. 75. Matth. 10. Act. 7. Psal. 57. Augustin. in Psal. 57. Roma. 13.

An

An Iudæorum Deus tantum? Nónne & gentium? Imò & gentium. Quoniam quidē vnu est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Quis verò ill Deus? Audi ad Hebræos illum dicentē: Christus Iesus, heri & hodie, ipse & in sæcula. Non videtur Paulus in prima vigilia excubiarum fuisse explorator, alioquin dixisset, Christu Iesus hodie & cras, ipse & in sæcula. Sed cùm dicat; heri & hodie, ostendit se in secūda fuisse vigilia, in qua oscitanti militi, & gladium spiritus fugienti improperat: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cōuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Sed ille fuit in prima vigilia, quia Dominus excubitorum est, qui dicebat: Ite & dicite vulpi illi: Ecce, eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cōsummor. Non dixit heri & hodie, quia prima necdum expirauerat vigilia; sed hodie & cras, ostendens se vnum, eundemque esse Dominum qui vtrunque populum, gentilem, & Iudaicum, per miracula ad fidem traheret in eaque confirmaret: qui iustificaret circuncisionem ex fide, & præputiū per fidem. Quod autem additur; & tertia die consummor, hoc, ad mysterium tertiæ, refertur vigiliæ: quam etiam à longinquo B. Paulus præuidit, sed non attigit. Cum enim ipse, quasi

Hebr. 13. Act. 13. Lucæ 13.

quaſi in ſecunda eſſet vigilia, & de prima diceret: Vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitũ eſt ſuper cor eorum, 2.Corint.3.
prophetauit etiã de tertia, inquiens: Cùm aũt conuerſus fuerit (nimirum Iſrael) ad Deum, auferetur velamen. Sed quando putas cõuertetur? Vis ſcire quando? Audi in Oſee ipſum- Oſeæ 6.
met loquentẽ: Viuificabit nos, poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, ſciemus, ſequemurq́;, vt cognoſcamus Dominum. Vides quod tunc conuertetur ad Dominum, quodq́; velamẽ ab ipſius corde auferetur, cùm dies duo, hoc eſt, hodie & cras, pertranſierint? Quod enim Iſrael ait: In die tertia ſuſcitabit nos; Hoc & Dominus dicit, Tertio die conſummor. Verum, quid eſt, tertia die conſummor? Hoc cõſideremus attentius. Nunciabatur Ieſu à quibuſdã in Galilea, quod Herodes ipſum occidere vellet; & propterea daret operã, vt exiret, & inde diſcederet. Ipſe verò reſpondẽs ait illis: Ite, & dicite vulpi illi, Ecce, eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras: & tertia die cõſummor. Hic Herodes, vt Beda dicit, typus hęreticorũ fuit, qui velut fallaces & verſutæ vulpes, animabus fideliũ inſidiãtur. Et propterea vulpẽ eum Dñs appellauit, tanquã ſuę animę inſidiatorẽ, qui cũ diſsimulata, Baptiſtæ perditione ſatiatus omnino nõ fuiſſet, etiã Ieſu ſanguinem viſus fuit ſitire. Sed quid faceret Herodes

Matth.2. grandæuo, quem pater ipsius paruulum, & matris adhuc vbera sugentem timuit? quid timuit dico? imò non timuit; quia animam pueri perdere quæsiuit, sed non potuit. Quare non potuit? Quia necdum venerat hora illa, de qua dicitur: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Neque etiam illa hora, de qua Ioannes loquitur: Nondum venerat hora eius. Illa vtique hora, in qua trāsiret ex hoc mundo, ad Patrem; & pendens in cruce diceret: Consummatum est. Clamat itaque in ipsius persona propheta, & dicit: Paulominus consummauerunt me in terra. Ex parte enim tunc erat consummatus in terra, sed non in cælo, cùm per mortē proprij corporis de diabolo triūpharet, illudq́; impleret, quod dixerat: Nūc princeps huius mūdi eijcietur foras, sed ex parte membrorū suorum, necdū plene consummatus fuit. Dicebat enim caput corpori: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationē sæculi. Et consolans suos in laboribus de celeritatē consummandi temporis, dixit: Non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis. Ergo quia ciuitatum spiritualis Israel, & sæculi consummatio nōdum venit, & quia filius hominis iudicaturus, nondum apparuit, non potest Christus dici consummatus tertia die, nisi ex parte sui, hoc est capitis, quia nondum est glorificatus in omnibus corporis sui

Lucæ 22.

Ioan.7.

Ioan.13.

Ioan.19.

Psal. 118.

Ioan.12.

Matth.28.

Matth.10.

ris sui membris. Quod itaque dici iussit Herodi: Ecce eijcio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor, hoc nō solum ad priuatam ipsius spectat personam, sed etiam ad corpus eius mysticum, quod est Ecclesia, teste Augustino, qui, vt citat eum Thomas in Cathena, dicit: *Expelluntur dæmonia, cum relictis paternis illis superstitionibus credūt in Christum gentes; & perficiuntur sanitates, cum secundum præcepta eius viuitur, posteaquam fuerit diabolo & huic sæculo renunciatum, vsque in finem resurrectionis, qua, tanquam tertia die, consummabitur, hoc est ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatē perficietur Ecclesia*. Sicut enim corpus humanum tantisper imperfectum est, donec debitū augmentationis suæ tempus expirauerit, & singulis membris suum robur & quantitas constiterit; sic corpus Christi, quod est Ecclesia, non prius cōsummatum erit, quàm cum tertia hæc transierit dies: in qua nunc postrema Ecclesiæ membra coædificantur in tabernaculum Dei, in spiritu sancto; in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, de quo & illud intelligitur: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hæc enim dicens Christus, de corpore proprio, quasi in typo ostendit, quid futurum esset de corpore suo mystico, quod clamat & dicit: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Nam sicut

Verba sunt potius Bedæ non August. vide lib. 4. in Lucā, cap. 70. sed videntur desumpta ex 6. lib. contra Iulianum Pelagia. cap. 8.

Ephes. 2.

Ioan. 2.

Oseæ 6.

H[illegible] ille,

Ephe. 1. ille, quem pater dedit caput, super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitu-
Hebr. 2. do eius, tertia die seipsum excitauit, postquã per passionem consummatus fuit; sic, vbi & tertio die per eandem passionem consumma-
Lucæ 12. Matth. 25. 1. Thessal. 4. tum fuerit corpus eius mysticũ, in tertia venturus de nocte vigilia, cum dicetur: Ecce spõsus venit, exite obuiam ei, clamabit in voce archangeli & in tuba Dei, dicẽs Ecclesiæ suæ:
Ephes. 5. Surge, quæ dormis, & exurge à mortuis; illuminabit & clarificabit te Christus, in illa videlicet claritate, de qua discessurus ab Apo-
Ioan. 17. stolis, ad Patrem dixit: Ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum. Sicut enim nec caput consummatum esse potest sine membris, sic nec membra sine capite suo. Propterea dicebat caput de membris reliquis, consolans
Ioan. 12. ea: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: vt, vbi ego sum, illic & mi-
Augustinus. nister meus sit; vt, (sicut dicit August.) *perfe-*
Ioan. 17. *cta beatitudine, cui nihil possit adijci, perfruatur.* Tunc opus Dei erit verè cõsummatum, quod Pater
Psal. 118. filio dedit, vt faceret; de quo Psalmista dicit: Omnis consummationis vidi finem.

FRVITIO enim perfectæ beatitudinis,
Lucæ 13. scopus est, & finis omnis consummationis. Tunc non amplius habebit locũ, quod Christus Herodi dici iussit: Ecce eijcio dæmonia, & sa-

& sanitates perficio hodie & cras: sed potius illud implebitur, tertia die consummor. Sed quid est consummor? id est, perficior. Cum Paulus stimulum carnis suæ inuitus sentiret, & ab angelo Sathanæ colaphizaretur, ter Dominum rogauit, vt tentatio discederet. Sed dictum est illi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Qua voce corroboratus ausus fuit dicere: Cum infirmor, tunc potẽs sum. Quid est hoc, tunc potens sum cùm infirmor? hoc est, quando quæ humanæ infirmitatis & miseriæ sunt, experiri cogor, & per gratiam Dei, cũctas afflictiones & calamitates, vndecunque proueniant, patienter sustineo, tunc perficior, tunc consummor, tunc, velut aurum in fornace, probor; & cum meiipsius experimẽto, quàm potens intus sum, foris ostendor: Nam quiduis aduersitatis pati & vincere; mortificari & viuere; aporiari & à patientiæ bono non destitui; penuriam & iniuriam ferre, & in gratiarũ actione abundare; in benedictione pro maledictione perseuerare: nõ signa, nõ prodigia, nõ miracula pro tẽpore facere, sed ab alijs mendaciter facta contemnere; & fidei simplicitate omnia superare. Hęc summa virtutis perfectio est, & vera Christiani hominis consummatio. Et hoc modo virtus in infirmitate perficitur, hoc est, an homo in omni virtute perfectus sit & consummatus, per huiusmodi rerum expe-

2. Corint. 12.

rientiam innotescit, & per sortem illorũ, quæ aduersa sunt, tolerantiam, manifestũ euadit.

Ecclesia debet multa pati, secundum scripturas; sicut & Christus passus est. CAP. XIX.

SICVT ergo vna Christi & Apostolorum sancta & vniuersalis Ecclesia, heri & nudiustertius, hoc est, in diebus duabus, siue vigilijs præcedentibus, per dæmonum eiectionem operationemq; miraculorum semper ita creuit, profecit, & immobilis perseuerauit, vt nullus tyrannus, nullus Herodes, nulla vulpes, nullus hæreticus, nullæ inferorum portæ aduersus eam præualere potuerint, sic in hac tertia euangelicæ dispẽsationis die, tantis nũc obuoluitur persecutionum fluctibus, tantis agitatur blasphemiarum procellis: & à tam infestis hostibus vndique cingitur, vt non simul omnes vnam, sed singuli quique solam domum Dei, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, vicisse, prostrasse, & penitus diruisse videantur. Sed non est (inquit Christus) discipulus super magistrũ. Perfectus autem omnis erit si sit, sicut magister eius. Nec seruus maior est Domino suo. Si me (inquit) persecuti sunt, & vos persequẽtur. Si patremfamilias Beelzebub vocauerũt, quanto magis domesticos eius? Paulus quoq; dicit, quod decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in glo-

Matth. 16. 1. Thimo. 3. Matth. 10. Lucæ 6. Ioan. 15. Matth. 10. Hebr. 2.

gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum, per paſsionem conſummari. Hoc ignorantes duo iſti, qui in Emaus tendebant, audiere à Chriſto: O ſtulti & tardi corde, ad credendum, in omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Petri quoque inſipiẽtia, graui hac retunditur increpatione. Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum, dum Chriſtum Ieroſolymam aſcendere volẽtem, & quæ paſſurus eſſet in illa, prædicentẽ, increpare & dehortari conaretur. Et iterum, quando dexteram Malchi auriculam amputauit, dixit illi Chriſtus: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquã duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ? quia ſic oportet fieri. Ter quatérue quoque, vt in Euangeliſtis videre eſt, quando de ſua agebat paſsione, hac loquẽdi formula vſus eſt, qua neceſsitatem ſignificamus, dicẽdo: Quia oporteret ire Ieroſolymam, quod Matthæus habet. Et Marcus dicit: Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis multa pati. Lucas autem: At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerẽt hoc, dicens: Quia oporteret filiũ hominis multa pati, & reprobari

Lucæ 24. Matth. 16. Matth. 26. Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9.

Lucæ 17. bari à senioribus. Et in alio loco, postquam discipulis dixerat, de hac tertia consummationis corporis sui die: Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic & ecce illic, nolite ire, neque sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua; postquam inquam, discipulis hæc dixerat, statim subiunxit: Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et post resurrectionem suam, volens hæc eadem, ad memoriam Apostolorum reuocare, dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Cum igitur non sint melioris cõditionis discipulus, quàm magister, seruus quàm dominus, domesticus quàm paterfamilias, Ecclesia quàm Christus; nõ potest mirum videri, neque nouum, si, quas Christus in proprio corpore pientissimus Paterfamilias, Dominus & Magister, passiones & iniurias ab ijs, qui pereunt sustinuit, easdem patiatur & eius Ecclesia, cuius singuli quique syncere catholici, mẽbra sunt, & Christi sponsi sui discipuli, serui, & domestici, enutriti verbis fidei

Lucæ 24.

& bo-

& bonæ doctrinæ quam per fideles dispensatores mysteriorum Dei assecuti sunt. Quod si quis indignum id eius maiestati iudicet, aut veritati contrarium ducat, quæ dixit: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, respõdebit illi Ecclesia; non aduersum me præualent inferorum portæ, sed exercent me, vt adimpleam ea, quæ desunt passionum Christi, in tribulatione mea, pro electis eius, qui sunt membra mea. Ideo enim omnia sustineo, propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cœlesti. Vade ergo retro me Sathana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Calicem quem propinauit mihi sponsus meus, dicens Patri, transeat à me calix iste, non vis vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, & vaticinia illius, qui dixit: Necesse est vt veniant scandala? Et: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et alibi: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et aliquãtò post: Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacẽ habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Et rursum apud Apostolum: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiãt

1.Thimo.4. Matth.16. Collos. 1. Matth.26. Matth. 18. Matth.10. Ioan. 16. 1.Corint.11.

in vobis? Quomodo hæc vera esse probabuntur, si non impleantur? quomodo verò implebuntur, si iuxta tuam inanem sollicitudinem, firmum fundamentũ promissionis Dei, quod stat, habens signaculum hoc deijciatur? Christus (inquit Petrus) passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Si hoc homini priuato, tanquam vni membro dici potest, vt relictum Christi exemplum sequatur, vt sicut socius est passionum eius, sic fiat & consolationis, multo id magis vniuerso corpori eius, quod est Ecclesia, conuenit, quæ non ignorat, quod omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur: & quod per multas tribulationes oporteat filios suos intrare in regnum Dei, quod per vim à diebus Ioannis Baptistæ rapiunt violenti, inter quos etiam nunc multi sunt, quibus non mediocre gaudium est, stigmata Domini Iesu in corpore suo portare, & se dignos haberi, vt, pro nomine eius, contumeliam patiantur. Aspiciunt enim in illam remunerationem, quæ dicit, Beati eritis, cum oderint vos homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint & eiecerint nomẽ vestrum, tanquam malum, propter filium hominis: Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælis.

2.Thimo.2. 1.Petr. 2. 2.Thimo.3. Act. 14. Matth.11. Galath.6. Acto. 5. Lucæ 6.

Nunc

Nunc est tertia dies peregrinationis Ecclesiæ, in qua illud Christi dictum impletur: & tertia die consummor.

CAP. XX.

SED quænam illa dies? Tempus nimirum præsentis tentationis Ecclesiæ; quæ, sicut Abraham olim, tertio itineris sui die, de fide sua in immolatione filij tentatus & probatus est, ita modo in hac tertia peregrinationis suæ die, de qua Christus dixit; Et tertia die consummor, de fidei suæ constantia, in filiorum, hoc est, Catholicorum vnanimi professione tentatur, probatur, purgatur septuplum, & sicut argentum in igne, ita examinatur. Tentatus fuit & Dominus à diabolo, non sæpius tamen, quàm ter; vt ternario suæ tentationis numero, præfiguraret ternam Ecclesiæ tentationem, quæ ternis illi cõtingeret diebus. Nec obstat, quod Lucas dicit, consummata omni tentatione, diabolum recessisse ab eo, vsque ad tempus, quasi denuo tentaturus Christum redierit. Quod cùm nusquam scriptum sit, sed illud potius legamus, quod princeps huius mundi non habuerit quicquam in Christo, ita intelligendus est diabolus ab illo recessisse, vsque ad tempus, vt posteà non ipsum caput, sed membra eius aggressus sit. Quod patet ex Christi dicto, ad Symonẽ: Symon ecce Sathanas expetiuit vos (non me dicit sed vos) vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. q. d. quando-

Gene. 22. Lucæ 13. Matth. 4. Lucæ 4. Ioan. 14. Lucæ 22.

quidem princeps huius mundi in me non habuit quicquam, recesſit à me, & in veſtram ſe pernitiem conuertit, quiduis tentaturus in vos. Sed, ne tua Symon, quem caput conſtitui & principem feci omnium, fides deficiat; hoc tibi meo apud Patrem impetratum eſt merito, mea id fiet virtute, quia rogaui pro te.

CAETERVM, non negat Chriſtus conceſſum eſſe petitioni Sathanæ, vt cribraret Eccleſiam, ſiue illos, qui in ea ſunt, ſicut triticum. Quia ſicut illud, non niſi frequenti & ſæpius iterata agitatione ſecernitur in area à paleis, ſic nec, qui probati ſunt Deo, ab ijs qui non ſunt probati manifeſti fiunt, niſi multo ſcandalorum zelo vrantur, niſi varijs hæreticarum opinionum flatibus collidantur. Illud itaque quod Chriſtus dixit: Nunc iudicium eſt mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras, ſic eſt accipiendum, non vt dictum ſit de perpetuæ condemnationis iudicio, quod in fine erit, ſed diſcretionis, quod etiam nunc fit: non quaſi Diabolus, ex tunc ac deinceps, extra omnes mundi huius terminos eiectus ſit, ſed quod de multorum cordibus, qui in Chriſtum erant credituri, per fidem expelleretur. *Poſſidebat enim Diabolus genus humanum, & reos ſuppliciorum tenebat chyrographo peccatorum. Dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam, deſerto creatore; deceptos captiuosq́ pertrahebat. Per Chriſti autem fidem, quæ morte eius, & reſurrectione firmata eſt:* per

Ioan. 12.

Auguſtin. ſuper Ioãnem, tracta. 51.

per eius sanguinem, qui in remißionem fusus est peccatorum, milia credentium à dominatu liberantur diaboli: Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, vno eius spiritu fidelia membra vegetantur. Hoc vocat Christus iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem. Scribit enim Ioannes paulò ante prædicta verba gentiles accessisse ad Philippum, & Iesum videre voluisse. Quod cum dixissent Iesu Andreas & Philippus respondit eis: Venit hora vt clarificetur filius hominis: & aliquantò post, Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater clarifica nomen tuum. *Ex occasione igitur istorum gentilium* (inquit Augustin.) *qui eum videre cupiebant annunciat futuram plenitudinem gentium, & promittit iam iamq; adesse horam glorificationis suæ, quam factam in cælis gentes fuerant credituræ, & expulsionem diaboli ex infidelium cordibus, quod Iudæi mirarentur, in sua cæcitate manentes.* Ideoque dixit; nũc iudicium est mũdi, nunc princeps huius mũdi eijcietur foras, hoc est, sicut in fine temporum ab inuicem separabũtur oues ab hœdis, ratione meritorum suorum, ita nunc in hac hora, fideles ab infidelibus ratione fidei discernuntur; & sicut tunc diabolus malorum omnium, qui mundi nomine intelliguntur, obtinens principatum, cum suis immundis canibus, hæreticis & hypocritis, foras omnino in tenebras mittetur exteriores, ita & nũc

Augustinus Ibidem.

eijcie-

eijcietur foras, propter credentium fidem, inquantum id ſpectauerit ad particulares, vel regiones vel homines, vt non tam facile iterum introire poſsit ad eos. Hoc indicat Hiſtoria obſeſsi hominis in terra Geraſenorum,
Marc. 5. vbi ſecundum Marcum, Diabolus, cui nomen legio, deprecabatur Ieſum multum, ne ſe expelleret extra regionem, ſineret potius ire in porcos; timens fortè, ne in locum, qui ipſum
Marc. 9. delectabat, poſsit redire. Rurſum nono cap. dixit Ieſus immundo ſpiritui, qui ab infantia filium cuiuſdam obſederat: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & am-
Marc. 16. plius ne introeas in eum. Id autem quod de Magdalena ſcribitur, quod ſeptẽ ab ea dæmo-
Apoc. 20. nia Ieſus eiecerat. Et rurſum illud: Quod Ioannes vidit angelum deſcendentem de cælo, & habentem clauem abyſsi, & catenam magnam in manu ſua, qui apprehendit dracoñe, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Sathanas; & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni, de ſpirituali dæmonis eiectione eſt intelligendum. In quem modum, eiectus eſt Diabolus primò, à quibuſdam Iudæis; ſecundò ex gentibus; tertiò
Lucæ 11. nunc ab Indorum cordibus. Quamdiu ergo fortis armatus cuſtodiuit ibi atrium ſuum, in pace fuerũt & nobiſcum, & cum illis omnia,

quæ

quæ possedit. Verùm cùm nunc fortior eo superueniens vincat eum, & extra regionem illam exire compellat, spemq́; reuertendi nullam relinquat; insuper & arma eius vniuersa auferat, in quibus confidebat, & spolia eius distribuat: furibundus ad nos recurrit, & vniuersum Christi dissipans gregem, facit, vt cũcta Christianorum posteriora negotia peiora fiant prioribus: Vt illud videatur in nos competere, quod Iudæis Dominus dixit: Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meã, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi. & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit (inquit) & generationi huic pessimæ. Si enim, quas semel refugimus in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, coinquinationes mundi, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, inuidias, & homicidia, his rursum implicati superamur, facta sunt nobis (teste Petro) posteriora, deteriora prioribus. Melius enim erat nobis, non cognoscere viam iustitiæ; quàm, post agnitionem, retrorsum cõuerti ab eo, quod nobis traditum est sancto mandato. Contingit enim nobis illud veri prouerbij: Canis

Matth. 12.

2. Petr. 2.

Galath. 5.

Prouerb. 26.

Canis reuerfus ad fuum vomitum; & fus lota in volutabro luti. Hinc funt illæ grauifsimæ
Matth. 11. Domini comminationes: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethfaida: quia fi in Tyro & Sydone factæ effent virtutes, quæ factæ funt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiffent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sydoni remifsius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Caphernâum, nunquid vfque in cœlum exaltaberis? vfque in infernum defcendes. Quia fi in Sodomis factæ fuiffent virtutes, quæ factæ funt in te, fortè manfiffent in hanc diem: Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remifsius erit in die iudicij, quàm tibi. Sicut hæc olim exprobrauit & comminatus eft Dominus illis ciuitatibus, in quibus funt factæ plurimæ virtutes eius, & non egerunt pœnitentiam; ita & modo varijs plagarum fignis, æterna fupplicia minitari videtur ijs Chriftianis, qui cum maxima ab ipfo beneficia acceperint, fummam rependunt ingratitudinem; non folùm non agentes pœnitentiam, fed quod veram aliquando in cilicio & cinere pœnitentiam egerint, dolentes plurimùm, & eos, qui faciunt, deridentes. Denique, dum finguli quique errorum mendaciorumque, magiftri, fuorum capitum fomnia & deliramenta fequuntur, titulo tenus verbum Dei tenentes, & prædicantes, ita fimplicium animos, ex fe fatis ad malum pronos, ad fe-

ctas,

ctas, iras, rixas, contentiones, seditionesq; faciendas excitant, cogunt, & impellunt, vt respublica Christiana in hoc occiduo orbe, nihil nunc aliud esse videatur, quàm regnum in se diuisum, quàm ciuitas vel domus super semetipsam dispertita, quæ Christi vocis testimonio stare non possunt. Si Sathanas dispertitus esset, si in sathanam consurgeret, & stare non posset, sed finem haberet, quomodo ergo stabit, quomodo non finem habebit societas Christiana, tot sectis dissectis inter se dispertita, & contra semetipsam disceptando, prædando, conflictando insurgens? Si omnia membra in humano corpore, vnum membrum fieri vellent; aut si membrum contra membrum insurgeret, nec sanum infirmo compateretur, nec mœstum gaudenti congauderet, nec id, quod robustum est, foueret debile, nec, quod plenum, vacuum enutriret; nónne paulatim corpus, cum in eo schisma esset, nec pro inuicem sollicita starent mẽbra, deficeret, caderet, expiraret? Multi (inquit Paulus) vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et rursum alibi: In vno spiritu, omnes nos, in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi; & omnes in vno spiritu vocati sumus. Cum ergo sit inter nos zelus & contentio; nónne carnales sumus? Et secundum hominem ambulamus? nónne, ceu mem-

Matth. 12.
1. Corint. 12.
Roma. 12.
1. Corint. 10.
1. Corint. 12.
1. Corint. 3.

membrum à mẽbro dispertiti sumus, & Christus diuisus est in nobis? Cú enim quis dicat: Ego quidem sum Lutheri: ego Zvvinglij: ego Pacimontani: ego autem Caluini, nónne ho-
1. Corint. 2. mines sumus? de quibus dicitur: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quid igitur fuit Lutherus? quid Zwinglius? quid Pacimontanus? quid verò Caluinus? Nõ ministri eius cui semel credidimus, cum essemus vnum corpus in Christo, alter alterius membra, baptizati & vocati in vno spiritu; sed præcursores Antichristi, diuisores corporis Christi. Lutherus dum dormirent homines, zizania sua plantauit, Zwinglius rigauit, Caluinus dilatauit, Balthasar plantata, rigata, & dilatata replantauit; quorum fermẽto Antichristus cùm venerit, incrementum dabit. Horum autem singuli, dum non solum caput, os, & oculi, sed totum insuper corpus, soli esse
1. Corint. 12. voluerunt, dicentes sibi mutuò, opera vestra non indigeo; nõ estis mihi necessarij, ita Christum inter se diuiserunt, vt neque qui plantauit, fuerit aliquid, neque qui rigauit, neq; qui dilatauit, neque qui dilatata replantauit. Non enim omnes vnum in Christo extiterunt, in
Collo. 2. quo omnis ædificatio cõstructa crescit in augmentum Dei, sed singuli quique vnus in sua vocatione, vnus in sua diuisione, vnus in peruerso dogmate esse voluerunt, vt solida antiquæ fidei ædificatio, facta tali separatione, de-
ciderет

ciderct, & periret, in detrimentum corporis Christi, & ecclesiæ Dei. Audiamus igitur Apostolum, dicentem: Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. q.d. si membrum mordeat sui corporis membrum; si caro suam carnem deuoret, sicut estis vos membrum de membro, caro de carne; si hæreticus Catholicum; Christianus hæreticum hostiliter insectetur; aut si hæreticus oppugnet hæreticum, videte ne finis, ne interitus vobis immineat; videte ne ab inuicem consumamini. Sicut enim, si schismate facto in corpore, membra à membris diuidantur, corpus omnino deficere & vitam suā finire cogeretur, ita & Christianæ professionis societas, cum in multas partes & sectas diuidatur quotidie, ruptis vbique mutuæ charitatis & fidei iuncturis, quasi ad suum finem properare compellitur, dicente Christo ad Diabolum; quod facis, fac citius: vt illud verificetur. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum; & rursum aliud: Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidē in terra? q.d. non, vel raram. Quia pauci tunc erunt electi, ex multis vocatis, qui saluabuntur.

Galath. 5. Ioan. 13. Matth. 24. Lucæ 18.

Scripturis probatur, & exemplis, extremum diem instare. CAP. XXI.

QVAPROPTER, meo iudicio, nullus relinquitur ambigēdi locus, quin rerum omnium finis, & interitus appropinquet, quando iam domum nostram, non solum desertam, sed etiam dissectam relinqui; quando regnum Dei à nobis auferri, & dari genti videmus facięti fructum eius, hoc est Indis. Iam enim hyems ibi transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra ista; tēpus putationis aduenit. Ideoq; clamat sponsus, ad sponsam suam Ecclesiam: Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni. Et cum nostri putent messores, quod adhuc multi menses, & multi anni sunt, priusquam messis veniat, dicit illis, apud Indos, Christus: Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Quid verò est messis? tempus prouētuum agrorum & vindemiæ: segetum maturarū demessio: frugum collectio: frugum trituratio: tritici à zyzanijs & paleis expurgatio. Per tropum ergo messis & inchoatio Euangelij est, secundum illud: Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: & consummatio sæculi, Christo interprete apud Matth. vbi agrum mundum, messem consummationē sæculi, messores angelos dicit. Quia in consummatione sæculi, mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno

Matth. 21. Cantic. 2. Ioan. 4. Ioan. 4. Matth. 13.

gno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis; ibi erit fletus & stridor dentium. Et B. Ioannes in Apocalypsi sua, vidit super nubem sedentem, similem filio hominis, habentem, in capite suo, coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et angelus (inquit) exiuit de templo clamans voce magna ad sedētem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniā maturuit messis terræ. Et iterū: Et alius angelus exiuit de tēplo, quod est in cælo, habens & ipse falcē acutam. Et misit (inquit) angelus falcē suā in terram, & vindemiauit vineam terræ. Et ne putaremus vineā hoc loco, in bonam accipi partē, adiunxit ilicò dicēs: Et misit in lacum iræ Dei magnū; & calcatus est lacus extra ciuitatem. Quod Christus caminū, hoc Ioannes lacū appellat; quod illic regnū, hoc hic ciuitas dicitur; quod illic scādala colligere, hoc hic vindemiare significat. Testatur quoq; Ioānes Baptista, quod Christus, in cōsummatione sæculi, habebit ventilabrū in manu sua; quòd purgabit aream suā, quòd congregabit triticū in horreum suū, & paleas cōburet igni inextinguibili. Tūc etiā, sicut parabola docet Euāgelica, respondebit Dn̄s seruo malo & pigro improperāti sibi, ꝙ homo durus sit, meteret vbi non seminauit, cōgregaret vbi nō sparsit: Sciebas quia meto, vbi nō semino: & cōgrego, vbi

Apocal. 14.

Matth. 3. Lucæ 3.

Matth. 25.

non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs & ego venies recepissem, vtique quod meum est, cum vsura.
Galath.6. Deniq; in consummatione sæculi, teste Paulo, quæ seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum auté (inquit) facientes non deficiamus, tempore
2.Corint.9. enim suo metemus, non deficientes. Et alibi: Hoc autem dico, qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Qui seminant (in-
Psal.125. quit Psalmista) in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; venientes autem veniēt cum exultatione, portantes manipulos suos. Sicut ergo agrorum vinearumq; cultores, mессis tempore plurimum lætantur, quādo frugū vbertas laboris facti mercedem pollicetur; quādo læti prouētus defatigatos eorum animos sollicitudine exonerant; sic quoque in sæculi cōsummatione, post magnos pœnitentiæ labores: post multifarias præsentium rerum curas; post mille vitæ discrimina carnisq; certamina, aut viriliter propulsata, aut patienter tolerata, fideles quique, & operarij, & milites, & imitatores Christi lætabuntur coram Deo, quasi in fertili præmiorum messe, & exultabunt, sicut victores, capta præda, quando diuidunt

uidunt ſpolia. Si itaque experti rerum ruſti- Eſai. 9.
carum agricolæ, tūc meſſem quaſi præſentem iudicant, ſegetesq; demetendas eſſe cenſent, quando regiones præ maturitate frugum albeſcere cernuntur; quando nec zizania, nec triticum creſcendo amplius augmentari poſſe videntur, cur nos, hoc tempus pręſens, tanquam ſæculi meſſem, non probamus? qui faciem cæli & terræ probare vtcunque nouimus; cur angelos breui meſſuros & ſcandala Matth. 16.
collecturos non timemus? quando iam Indicas regiones albas eſſe ad meſſem, noſtrã autem terram tenebras, & caliginem populos Eſaiæ 60.
Chriſtianos operuiſſe videmus? quando defecit, & perijt ſanctus de terra, nec rectus in Miche. 6.
hominibus ſit, ſed diminutæ ſint veritates à filijs hominum; quando fiunt peccatores ſi- Pſal. 11.
cut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit, de quo non implebit manum Pſal. 128.
ſuam, qui metet, nec ſinum ſuum qui manipulos colliget? Quid, inquam, hæc ſcientes & videntes, hæremus quaſi ſæculi conſummatio nondum adſit? quum vniuerſum mūdi agrū, & Eccleſiæ ſuæ vineam, Deus eò deueniſſe cernat, vt nec vllus gradus pietati, vberius proficiendi ſuperſit, nec impietati grauius delinquendi. De quibus paterfamilias dicebat Matth. 13.
ſeruis quærentibus, velletne, irent, & colligerent zizania, quæ inimicus homo ſeminauit: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in

tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Ad summú enim iam venit vtrunque, & fructus virtutum, & incrementum vitiorum. Hinc est vox illa cœlestis
Iohel. 3. agricolæ, ad ministros angelos: Mittite falces, quoniam maturauit messis; venite & descendite, quia plenum est torcular. Exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.
Marc. 4. Huc accedit quod in Marco legimus: Sic esse regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat & exurgat, nocte & die, & semen germinet & increscat, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentũ in spica. Et cũ ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniá adest
Esaiæ 28. messis. Núquid itaq; tota die, vt Esaias querit, arabit arans, vt serat; proscindet, & sarriet humum suá? Nónne cũ adæquauerit faciẽ eius, seret gith, & cyminũ sparget, & ponet triticũ per ordinẽ, & hordeum, & miliũ, & viciam in finibus suis? Deinde cú adfuerit messis, nónne statim mittet falcẽ suá, & metet, & congregabit in horreum suũ? Et vbi omnia, quæ sibi
Lucæ 12. nata sunt, & bona sua in vnum thesaurũ con-
Matth. 13. gregauerit, nónne noua & vetera proferens,
Prouerb. 31. prædá dabit domesticis suis, & cibaria ancillis
Matth. 24. suis; velut fidelis prudensq; dispẽsator, quem

consti-

cōstituit Dñs super familiã suã, vt det ei cibum, & tritici mensurã in tẽpore? Si igitur paterfamilias, tam diligentẽ, & officij, & temporis, & agri sui rationẽ habet, vt nihil eorũ, quæ ad agriculturã spectant, prętermittat; vt sciat, quid, vbi, & quomodo seri; quãdo quod satũ, & maturum est, demeti; quomodo demessum colligi in manipulos, & in vsum rei domesticæ conseruari & expendi debeat, quare Deũ, qui docet hominem hanc scientiam, & erudit agricolam in iudicio, Ecclesiæ suæ curã repulisse; quomodo tempus consummationis eius neglexisse putabimus, præsertim quum dixerit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi? Sed quid est? vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi? & quomodo intelligendum? Non sic, quod post consummationem sæculi, nobiscum siue cum ecclesia sua non sit futurus, quandoquidẽ ipsum dixisse legimus: Non relinquam vos orphanos, vado, & venio ad vos. Vado parare vobis locum: Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis: Quod enim ante mortem suam promisit, hoc post Apostolorum mortem, exẽplo vnius latronis omnibus præstitit: quod mortalibus mortalis prædixit, hoc, post sæculi consummationem, in consummatione sanctorum omnium, immortalis in immortalibus consummabit, per-

Lucæ 12.

Psal. 93.

Esaiæ 28.

Matth. 28.

Ioan. 14.

1. Petr. 5.

ficiet consolidabitq́;. Vult ergo dicere: Quãdiu in cordibus fidelium aro, proscindo, sarrio, sero, adæquo, quandiu quoidam quidem per ordinem pono Apostolos, quosdam prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ pastores, & doctores, ad cõsummationem sanctorum, qui ex Iudæis, Gẽtibus, & Indis erũt, non est finis, non est consummatio, non est messis; quia ego adhuc vobiscum sum in laboribus, in curis, in periculis vestris: ego adhuc pono vos, vt eatis & fructum adferatis, & fructus vester maneat, vt operemini nõ cibum qui perit, sed qui permanet in vitã æternam. Sed cum prædicatum fuerit cũctis gentibus & toto Euangelium effulserit orbe, cum sonus vestræ prædicationis in omnem terram exierit, & in fines terræ verba vestra: cum non solum testes mihi fueritis in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, sed etiam vsque ad vltimum terræ: cùm impleta fuerint tempora nationum, tunc finis, tunc consummatio; tunc messis erit: ex tunc ac deinceps, vos, qui permãsistis mecum in tentationibus meis, mecum eritis in regno, quod disposui vobis, sicut mihi pater meus disposuit, vt me præcincto & transeunte, quasi ministro vestro, edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo; & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

Ephe. 4. Ioan. 15. Roma. 6. Psal. 18. Act. 1. Lucæ 21. Lucæ 22.

Quid in extremo die futurum sit, ostenditur.

CAP. XXII.

TVNC implebitur & illud, quod Esaiæ di- Esaiæ 18.
ctum fuit à Domino: Ego quiescam & cõsiderabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis. Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinauit; & præcidētur ramusculi eius falcibus; & quæ derelicta fuerint, abscindētur & excutientur & relinquētur simul auibus montium & bestijs terræ: & æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illam hyemabunt. Licet enim hæc Prophetia cum præcedentibus, secundum Historiæ veritatem, de populo Aegypti, iuxta B. Hieron. sentētiam, sit intelligenda; tamen si verborum proprietates, & res in ipsis designatas, diligenter aduertamus; videbimus nõ solum hæc, sed totum insuper capitulum, ex quo ista desumpta sunt, ad tempus referri iudicij, sicut in sequenti libro mox ostendemus. Sensus itaque horum verborum talis esse videtur, quasi Christus dicere velit: Erit cum iudicaturus vniuersum orbem aduenero, quod in loco meo specialiter ad hoc deputato, iudex constitutus à Deo Act. 10.
patre viuorum ac mortuorum, in tribunali meo compositus, sedatusq; quiescam; vt, con Matth. 25.
gregatis ante me cunctis gentibus, separem eas ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab

hœdis; vt considerando tenebrarum abdita,
2.Corint. 4. & occulta cordium consilia manifestando, ita dilucidè ac apertè omnia & singula iniquorũ facinora, in publicum proferã, sicut ipsa meridiana lux, quæ claro radiat sole, manifestum facere, & in hominum conspectum proferre consueuit, quod aliàs in noctis caligine & tenebris perpetratum latere posse, & occultum esse putaretur. Denique, sicut nubes roris, æstiuo tempore, in messe laborantibus refrigerium præstat, & caloris vehementiam ab ijs reuerberat: sic eodem illo tempore, quo impiorum scelera publicabuntur, sub vmbra alarum mearum protegam pios, pijs defatigatos laboribus; & inducam illos in refrigerium, vbi expertes erunt periculorum,
Psal.16. laborum & dolorum omnium: vbi gaudium
Esaiæ 35. & lætitiam obtinebunt, vnde fugiet dolor, & gemitus. Quod autem additur: Ante messem enim totus effloruit & immatura perfectio germinauit, sic est intelligendum; aut, vt in genere dictum sit, de vniuerso omnium electorum cœtu, ex quibus plurimi ante vitæ suæ finem, in omni virtute floruerunt, & antequam tempus consummationis adueniat, perfecti extiterunt, inter quos sapien-
1.Corinth.2. tiam loquebatur Apostolus; aut, vt sit specialiter de Indico populo prophetatum, qui per
Sapien.4. fidei suæ deuotionem, consummatus in breui explebit tempora multa. Ramusculi au-

 tem,

tem, qui inutiles sunt, falcibus præciden-tur, dicente in euangelio Seruatore: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et alibi: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur, & relinquentur simul auibus montium, & bestijs terræ. Hoc de æterna impiorum dictum est condemnatione, non de castigatione temporali. Nam quod illud ita sit, ostendit id, quod sequitur: Et æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illam hyemabunt. Per volucres enim, & bestias, dæmones intelligi possunt (sicut patet ex Christi dictis apud Matthæum; & ex Psalmo septuagesimo tertio) qui scientiæ plenitudine, & naturæ suæ agilitate, quasi alis duabus volando, in altum se tollunt; sed quia auersi sunt à Deo, & ab omni bono alieni sursum stare non possunt, iterum velut bestiæ in terram decidunt, rebus delectati carnalibus, & hominum gaudentes perditione. Per æstatem perpetuam & hyemem, pœnarum æternitas designatur; vbi vermis morientium non moritur, & ignis ardentium non extinguitur, vbi erit fletus & stridor dentium. *Fletus* (inquit Bernard.) *ob ignem qui non extinguitur; stridor verò ob vermem, qui non moritur.* Plane *fletus*

Matt. 3. & 7.
Ioan. 15.
Matth. 13.
Psal. 73.
Esaiæ 66.
Marc. 9.
Bernar. serm. 8. super Psal. 8. in habi. vers. 8.

fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas; stridorem dentium, vehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas extorquebit. Quod ne vnquã experiri cogamur, donare nobis dignetur, qui est Deus super omnia benedictus in sæcula. Amen.

DE EXTREMO DEI IVDICIO, ET INDORVM VOCATIONE

LIBER SECVNDVS.

Scriptura profertur ab Isaia, quæ ostendit populum Indicum fore postremum ad fidem Christi conuertendum.

CAP. I.

AGGREDIEMVR nunc quod superest: & quemadmodũ in præcedenti libro de Euangelio probauimus, populum Indicũ esse postremum, nec post illum, aliũ restare, ad Christianam fidem conuertendum; sic idem quoque ex propheticis hic ostẽdemus oraculis. Cum enim omnia illa, licet vel minima fuerint, quæ ad ostẽdendam incarnati verbi Dei faciunt veritatem, quæque ad Ecclesiæ spectant fidem & gloriam, quam exactissimè, apertissimeq; à sanctis prophetis illuminatis à Deo, aut verbis apertis prædicta sunt, aut mysticis signis adumbrata: nequaquam existimandum est,

Indicorum populorum deuotam, ſeram licet, conuerſionem ipſos latuiſſe, cùm res illa, non minus noua ſit, non minus inexpectata, & nobis admiranda, quàm olim fuit Iudæis quod & in nationes gratia ſpiritus ſancti eſſet effuſa. Si itaque Patriarchæ & prophetæ, de tempore aduentus Meſsiæ: deque eius incarnatione ex virgine; de loco natiuitatis; de aduentu magorum; de occiſione paruulorum in Bethleem; de reditu ex Aegypto; de eius prædicatione & vita; de eius paſsione & morte; de diuiſione veſtimentorum; de ſiti; de ſepulchro glorioſo; alijsq; eius generis ad caput noſtrum Chriſtum pertinẽtibus, per ſpiritum ſanctum prælocuti ſunt: mirum ſi non ab ijſdem etiam eſſet prædictum, & prophetatum, quod ad membra corporis eius pertinet, quod eſt Eccleſia, quæ, vt olim apud Iudæos incœpit, ſic aliquandiu profecit in Chriſtianis, & iterum deficit, ſed nunc creſcit, impletur, conſummatur in Indis. Cæterum ſi veriſimile eſt, quod ſancti Dei prophetæ, nõ minus de vltimis Eccleſiæ profectibus ſint locuti, quàm primis, fideiq; noſtræ exordijs; cogimur etiam credere, quod pleraque ipſorum oracula, non minus de vltimis Indis, quàm de Chriſtianis, quàm de Iudæis ſint intelligenda. Alioqui fruſtra quodammodo laborarent ibi prædicatores verbi Dei, in populo hoc conuertendo, & ſanctas ei Scripturas proponendo,

Act. 10. Eſaiæ 7. Miche. 5. Eſaiæ 60. Hier 3. & 31. Oſeæ 11. Eſaiæ 61. Lucæ 4. Pſal. 21. Pſal. 60. Eſaiæ 11. Ephes. 1. Colloſ. 1.

niendo, cum non facile talibus scripturis esset crediturus, in quibus nihil de se prophetatum audiret, nihil cerneret sibi promissum. Sicut autem quædam prophetarum vaticinia communia sunt, & indifferentia, ita vt cuicunque voles populo, loco, tempori adsignare possis; veluti est ista scriptura: filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis; sic etiam alia ita propria sunt huic, vel illi populo, vt si alteri, quàm de quo prophetata sunt applicare studueris, aut scripturis violētiam, aut iniuriam spiritui sancto, facere velle videaris. Talis est pia consolatio Zachariæ, ad filiam Sion & Ierusalem, quam Euangelista Matthæus sic reddidit: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. De huiusmodi verò breuiter, quod ad Indorum spectat vocationem, in præsenti loco tractandum est. Itaque inter omnes prophetas, facilè summum obtinet gradum S. Esaias, de quo notum est Hieronymi dictum, quod *non tam propheta dicendus est, quàm Euangelista. Ita enim*, inquit, *vniuersa Christi, Ecclesiæq; mysteria, ad liquidum prosequutus est, vt non putes eum, de futuro vaticinari, sed; de præteritis historiam texere*. Addit paulo post adhuc Hieronymus: *Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babyloniæ captiuitatem reditum populi significet in Iudæam, tamen omnis*

Esai. 1.
Zachar. 9.
Matth. 21.
Hieronymus in prolo. in Esaiam.

omnis eius cura, de vocatione gentium, & de aduentu Christi est. Quare si quis prophetarum alius, certe Esaias putandus non est, Indicorum populorum vocationem, conuersionemque ignorasse; quandoquidem in regno Christi visibili, res hæc vna de mirabilioribus est, quod, cum tantis temporibus tantus populus latêre, & à nullo inueniri potuerit, nunc per hominum paucorum, & humilium prædicationem, totus ad Deum conuerti dicatur; vnde plurimum veritas emicat fidei Christianæ, Ecclesiæque Catholicæ corroboratur authoritas. Velint nolint enim, cuncti Ecclesiæ hostes, fateantur oportet, quòd vera Indis in Christum fides; verum Euangelium; verum purumq; verbum Dei prædicetur; non autem Lutheri, non Zwinglij, non Pacimontani, non Caluini somnia, aut deliramenta. Sed ad rem veniamus. Habet passim Esaias oracula communia, quæ indifferenter conuenire possint Iudæis, Græcis, Christianis, & Indis, quorum hic perexiguam mentionem facturi sumus. Illa verò imprimis proponemus, quæ peculiari quadam gratia, & sermonis proprietate, ad Indicum populum spectare videntur. Qualis est pulcherrima eius prophetia, quæ habetur cap. decimo octauo, vbi sic legimus: Ite Esaiæ 18. angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populú terribilem, post quem nó

est

est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terrã eius. Et, quibusdam interpositis, quæ ad extremum iudicium, finemq; mundi referuntur, consolationem quandam, pro illo populo adiungit. In tempore illo, deferetur munus domino exercituum à populo diuulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius, à gente expectante & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituũ montem Sion. Quid pulchrius? quid apertius? quid cõuenientius de populo Indico dici potuisset? Imprimis prædicatores, qui mittuntur ad Indos, angeli vocantur, vbi non sine mysterij ratione, interpres noster græcum seruauit vocabulum. Cum enim nusquam in scripturis sanctis legatos regum, vel vulgares plebeiorum nuncios, angelos dictos legamus, nisi solũ ipsum Christum; administratorios spiritus; præcursorem Christi; prophetas, sacerdotes, aut etiã spiritus malos; non oportet hic per angelos, aliarum rerum nuncios intelligere, quàm verbi Dei præcones, qui non solum voluntatem Dei infidelibus manifestando, angelicum exercent officium, sed castissimè etiam cõuersando, cælestem angelorum vitã in terris imitantur. Iubentur quidem ire, sed nihil iubentur dicere. Ex quo enim quis vocatus, vt Aaron, ad prædicandum mittitur, facile quid ei dice-

Malach. 3. Psal. 103. Malach. 3. Psal. 77. Hebr. 5.

ei dicere iubeatur, inuenitur. Non enim nosmetipsos prędicare debemus, sed Iesum Christum, Dei virtutem, Dominum nostrũ, Christiq; sanctum verbum & Euangelium. Deinde valde idoneis epithetis, & congruentibus dictionibus spiritus sanctus Indos describit, dicens gentem esse côuulsam & dilaceratam; vtpote olim post diluuium, à communi reliquorum hominum consortio abstractam longius, frequentiq; tempestatum violentia, turbinumq; procellis hinc inde conquassatam & dilaceratam. Denique, populum vocat terribilem; ob mores ferinos, vitamq; agrestem, quam crudis etiam & humanis carnibus sustentare dicuntur qui Canibales vocantur ab Indis; à quibus Maximilianus Transiluanus Ioannem Ruydium nauium Ferdinandi Catholici præfectum, cum aliquot socijs comestum esse scribit. Addit adhuc Esaias: ad gentem expectantem; quam vocem quidam congeminant, expectantem expectantẽ legentes; quo vehemens significari videtur expectatio, & magnum desiderium, quod, quidam ex illo populo, à spiritu Dei in præcordijs tacti, iampridem sentire cœperant, ad Euangelicã doctrinam Christiq; fidem amplectendam. Hoc etiam attestatur Maximilianus, ad Cardinalẽ Saltzburgensem scribens, de rege insulæ Thedori nuncupatæ. *Hic, cum munera ab Hispanis, tãquam à Carolo Cæsare missa, acciperet, suspiciens in cœlũ,*

2.Corint.4.

Paulus Iouius. Maximilianus in epist. ad Cardi. Saltzburgen.

Insula Thedori.

K *iam,*

iam, inquit, biennium agitur, cum vos, à maximo regerum ad inquirendas has terras, dimißos, è ſyderum ratione cognoui. Quare aduentus veſter tanto mihi gratior iucundiorq́; eſt, quanto aſtrorum ſignificatione diutiùs mihi præſcitus fuit. Et cum nihil huiuſmodi euenire ſcio, quod non iam diu fatorũ & ſyderũ decreto ſtatutum ſit, non ero is, qui aut fatis aut ſiderum ſignificationi aduerſari moliar; ſed volens libensq́; poſthac, depoſito regio faſtu, me tantummodo regis veſtri nomine, huius inſulæ procurationem gerere exiſtimabo. Hæc ille: *Similia quoque regni ſui proceribus edicebat magnus Can, rex de monte Suma: diem adeſſe vaticinij, quo prænunciarentur externi venturi, ipſisq́; dominaturi.*

Postremo verò, quòd gens hæc dicitur conculcata, cuius diripuerũt flumina terram eius; per hoc ſignificatur natura regionis illius, & ſitus. Regionem enim, ex natura, inſulam eſſe oſtendit, quam frequẽs raptus & excurſus fluminum, ex continenti inſulam fecit. Ex ſitu verò illam eſſe terram declarat, quam Antipodes incolunt, qui aduerſis contra nos veſtigijs, ambulare narrantur. Et propterea dixit ad gentem expectantem, & conculcatam: ſiue, vt quidam legunt, ad gentem lineæ lineæ, & conculcationis: per quod inſinuauit propheta, quòd de populo loqueretur, qui illam terræ partem inhabitaret, quæ huius terræ ſitui, in quo nos ſumus, eſſet quaſi oppoſita. Sicut enim dicimus, quod polus Arcticus, ratione oppoſitionis polus ſit, poli Antar-

Antarctici: sic etiam dicere possumus, quòd linea australis ratione contrarietatis, linea sit lineæ septentrionalis; & consequenter quòd Antipodes plagæ australis, Antipodes sint Antipodum huius plagæ Borealis. Non minus enim nos, apud illos, quàm ipsi apud nos, antichthones dicendi sumus. Vel etiam conculcatam dixit, veluti neglectam siue relictam à Deo. Sicut enim abscissos à vite palmites, & detruncatos ab arbore ramusculos, pedibus facile conculcari permittimus; sic Deus gentem illam, postquã propria voluntate seipsam à ciuitate populoq; Dei segregauit, quasi neglectam habuit, & quasi conculcatione dignam iudicauit.

Probatur, quòd Antipodes sint.

CAP. II.

ANTIPODES autem esse, non solum veterum scriptis, certum est; verum etiã nostro æuo, Lusitanorum nauigationibus satis exploratum claruit. Cõstat enim illos polum, quem Antarcticum vocãt, quique nobis perpetuo occultatur, in nouis à se repertis insulis, videre. Et Paulus Iouius scribit Magellanum præfectum classis Cæsarianæ, *duas vidisse insulas, quæ desertæ appellantur, quas cosmographiæ periti perhibent, ex Diametri ratione, Italis esse Antipodes.* Ludonicus quoque Viues, qui in librum de ciuitate Dei commentatus est, in quo D. Augusti-

Paulus Iouius.

Ludouicus Viues.

 gusti-

August. post Lactantium negauit Antipodes li. 16. de ciuitate. cap. 9.

gustinus, secutus Lactantium illorum reprobat sententiam, qui Antipodes esse adseuerabant, testatur: *tam certum esse, quòd Antipodes sint, vt negari non possit, & ad illos esse viam, compertissimũ esse dicit, eoq; nonnullos antiquorum, nedum nauigationibus nostræ memoriæ, applicuisse. Nam olim per Arabicum sinum, quidam Augusti Cæsaris sæuitiam fugientes per imam Aethiopiam, mareq; Atlanticum, ad Gades Herculis enauigarunt: Contra florentibus rebus Carthaginensium, aliqui ex ijs, ab Herculeo freto, in Arabicum, mare rubrum venerunt; tum etiam Persicus sinus, & Indicum, Eoumq; mare Alexandri armis est exploratum: insulaq; Taprobane, & aliæ in illis tractibus nonnullæ, quæ ex positu cælorum & siderum deprehenduntur Antipodes esse nobis. Tantum enim exurgit illis contrarius ille vertex: tantum ab occidentali suo absunt, quantum quædam ex terris in Zona nostra positis.* Hæc ille: *Ex priscis autem philosophis* (vt in Theatro vitæ humanæ habet Theodorus Zwinggerus) *pleriq; terram rotundam & antichthonas esse voluerunt, sed non demonstrarunt Plato in Timæo, ex sententia Aegyptiorum sacerdotum (referente Solone) Atlanticam insulam orbi nostro & situ & magnitudine oppositam vehementi terræmotu, & aquarum eluuie absorptam fabulatur. Atlantica illa, nouus orbis est, Patrum nostrorum memoria, ab Americo Vesputio inuentus, & Americæ nomine donatus. Plato igitur in eo errauit, quod Antipodas olim fuisse, sed non amplius esse existimauit.* Ex falsa quoque suppositione rectè sentientium, erroris occasionem sumpsit D. Augustinus: Si quis plura de situ, natura-

Theodorus Zvvingerus lib. 1.

Atlantica insula.

Americus Vesputius.

naturaq; regionum Indicarũ, velit cognoscere, legat tomos epiſtolarũ, quas Patres ſocietatis Ieſu, ab extremis mundi partibus, in Europam tranſmiſerunt.

Tomus vnus epiſtolarum impreſſus eſt Louanij, anno 64.

Experientia rerum in progreſſu Eccleſiæ multum valet.

CAP. III.

COGOR hic rurſum, priuſquam longius tendatur oratio, ſciolorũ obuiare cachinnis, qui continuo, quod minus aut intelligũt, aut probant, calumniari conantur. Temeritatis enim cuiuſdam vererer argui, quod ſolus ego & fortè primus, prędictã Eſaię prophetiã, de Indico populo intelligendam exiſtimem, niſi ſubiunctis opinionis meæ rationibus, quàm non ſit infirmum, quo nitor, fundamẽtum, oſtenderem. Equidem non ſum neſcius, quòd tam recentiorum, quam veterum plerique, in ſupradicto Eſaiæ capite, vaticiniũ eſſe dicunt, contra Aegyptum, quæ cum ſubinde miſiſſet nuncios cum literis in Iudæam, protectionẽ ei & auxilium pollicẽs cõtra hoſtes, Deum, prius ſibi iratũ, magis offendit, eiusq; vindictam incurrere meruit; quam in huius Capitis prophetia, Dñm Aegypto minari, cõmunis doctorũ opinio eſt. Nõ deſunt tamen, qui non contra Aegyptũ, ſed cõtra Aethiopiã hæc prophetata eſſe exiſtiment. Hoc argumẽtum Pagnini, & eius ſcholia teſtãtur. Cæterũ iſta ſententiarum varietas, noſtram hic nihil

perturbat opinionem. Quandoquidem, ſicut nos, veterum in hoc capite hiſtoricũ ſenſum hactenus ſecuti ſumus, donec ipſa rerum experientia, aliam verioris intelligentiæ viam aperuit; ſic fortè & ipſi veteres, ſi nunc recẽter viuerent, non aliam, quàm noſtram, amplecterentur (ſi non præueniſſent) ſententiã. Vſqueadeo enim omnes euentus rerum, quæ in Eccleſia Chriſti, ſucceſsiuis complentur temporibus, multa aperiunt, multaq; oſtendunt poſterioribus ſæculis, quæ prioribus manſerunt ex magna parte incognita. Sic Lactantius, ſic Hieronymus, ſic Auguſtin. facilè nunc Antipodes eſſe crederẽt, quod dum viuebant, nihil habentes compertum à fide dignis, conſtanter negabant: Illosq; qui verum hoc eſſe aſſeuerabant, *ſtultam dicebant philoſophorum ſapientiam ſequi; quod Antipodas quaſi ſupinos, & cadentes homines ſuſpicarentur*. Quapropter nemo mihi ſuccenſeat; nemo ex obliquo frontem in rugas contrahat, quod in quibuſdam prophetarum vaticinijs, à Patrum ſententia nonnihil diuertam. Nam, ſicut Patres, de nulla mũdi regione, de nullo populo minus, quàm Indico ab Eſaia prophetatum fuiſſe, intelligere potuerunt, quem tunc nullum ſupereſſe fidei expertem, crediderant; ſic nos, de nulla gente magis, quàm Indica, hic eum vaticinatum fuiſſe, dicere cogit manifeſtus rerũ euentus. Aut, ſi mihi hoc ſentire non licet, propterea

Hieron. ſuper Ezech. libr. 1. cap. 1. ante medium.

rea

rea quòd veterum authoritas non consentiat, non licebit etiam sentire, nec credere quòd Antipodes sint, quod tamen totus iam mundus credit, ne, ab Augustino, Hieronymo & Lactantio, videar dissentire. Tantum valet rerum euentus, & manifesta currentium temporum experiẽtia, vt quo longinquius ab Ecclesiæ initijs, dierum curriculis auellimur, eo clarius, quæ in eius progressu, ad finem vsque consummanda sunt, capere & videre possimus. Velim itaque scire, vter de errore culpãdus sit, is ne, qui prophetas dicit ignorasse cõuersionem Indorum, & de illis nihil speciale prædixisse, an, qui ex probabilibus rationibus ostendit, hoc vel illud vaticinium potius Indico populo, quàm alteri conuenire. Si necessario credimus veritati dicenti, quod facilius sit cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere; non possumus etiã non affirmare, quin Iota vnum, aut apex vnus in prophetis non manebit, qui non suo tempore compleatur. Nam idem Dominus, qui se legem adimplere, & nõ soluere venisse dicit, etiam legis arbitros, & præcones prophetas non soluere, sed adimplere venit. Lucæ 16. Matth. 5.

DICERE autem, quod tunc, vel etiã nunc, omnia sunt completa, quæ Deus locutus est per os sanctorum, qui à sęculo sunt prophetarum, magnæ temeritatis esset, magnæq; inscitiæ. Prophetarunt enim Iob & Daniel de cõ- Lucæ 1. Iob 19. Daniel. 12.

muni hominum resurrectione & iudicio; neutrum tamen adhuc venit: sed suo tempore vtrunque futurum esse, nemo est qui ambigat. Sic etiam alij Prophetæ, de alijs mirabilibus adhuc restantibus, non obscurè prædixerunt; ita vt Christus suo testimonio, quorundam oraculum confirmauerit, qui dixerant: Quoniam stellæ cæli & splendor

Esaiæ 13. earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splen-

Ioel. 3. debit in lumine suo. Et alius Propheta: Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxe-

Matth. 24. runt splendorem suum. Ipse autem dixit, prophetans de futuris: Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.

CVM igitur ex his constet, non nulla esse in prophetis, quæ nondum impleta sunt, & verisimiliter credendum sit, extremorum populorum conuersionem ipsos non latuisse, ideo qui nostram de vaticinio Esaiæ sententiam non probauerit, aut prorsus negare debebit, de Indico populo quippiam esse prophetatum, aut probabiliorem Scripturam de ipso proferre cogetur: Alioquin, nisi hoc fecerit, aut inuidiæ, aut inscitiæ obnoxius esse putabitur.

Rationes

Rationes adferuntur, quare prædicta prophetia de populo Indico intelligenda dicatur. CAP. IIII.

SED tu nostras, forte, rationes expectas; & illas prius audire concupiscis, cur prædictam Esaiæ prophetiam, Indico populo conuenire dicamus. Hoc ipsum ergo, vt expediamus, superest, deinde ad alia properabimus. Inprimis itaque, diligenter in illo capite considerandum venit, quod Deus non tam acerbè minari Aegypto, quàm blandè remotum quendam populū consolari videtur; qui propterea sine expresione certi nominis trans flumē Aethiopiæ esse dicitur, quòd hinc procul abstractus, & multum peregrinus sit; nostroq; orbi incognitus. Nec obstat particula væ. dum dicitur: Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumē Aethiopiæ; quia hác apud Hebræos ambiguam, nūc minātis nunc condolentis esse, dicit frater Adam Delphius, & in vno capite, diuersimodè à nostro interprete reddi Sanctes Pagninus pro væ hic vertit O; & post illum F. Franciscus Forerius heus; vt sit excitantis particula, siue monentis. Et sensus est: Heus tu ô terra, quæ tam longinqua, tamque à reliquo orbe habitabili semota es, vt de te nihil, nisi quoddam cymbalum, seu sonitus quidam, aut strepitus quasi auium transuolantium audiatur, de qua nihil certi magis, quàm de alarum vmbra habetur, quæ subitò euanescit, cum ipsæ

Adamus Delphius.

Sanctes Pagninus.

Franciscus Forerius.

præteruolantium auiũ alæ quieuerint; hæc in tuam consolationem dicit Dominus qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas, hoc est nuncios apostolicos literis sacris, & omni eruditione imbutos: Ite angeli veloces ad gentem cõuulsam & dilaceratam, ad populum terribilẽ, post quem nõ est alius; ad gentem expectantem & conculcatam, cuius diripuerũt flumina terram eius. In his itaque verbis consolantis affectus ostenditur, & non comminatio indignantis. Si miraris, tam citò ordinem historię mutari à propheta, cùm in præcedenti capite contra Damascum, in sequenti verò contra Aegyptũ agat: scito non infrequens hoc esse in prophetis, sicut Adamus etiam annotauit, vt subitus & occultus ex vna materia, in aliam transitus fiat; vt de historia præsenti sermo ponderosior trãscurrat ad mysterium: de mysterio iterum festinus redeat ad intermissam historiam. Idem dicit & D. Hieronym. in Commẽtarijs decimi sexti capitis Esaiæ, vbi nos in textu legimus: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. *Quod interpretamur,* inquit, *non historia est, sed prophetia. Omnis autem prophetia ænigmatibus & præcisis sententijs inuoluitur, Dum de alio loquitur transit ad aliud, ne si ordinem scriptura seruet, non sit vaticinium.* Et de Esaia testatur in prolog. *Cum,* inquit, *interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babyloniæ captiuitatem, reditum*

Hieronym. Esaiæ 16.

Hieronymus in prolo. in Esaiam.

tum

xium populi significet in Iudæam, tamen omnis eius cura, de vocatione gentium, & de Christi aduentu est. Et propterea nos dicimus, in præsenti capite, nō solum de futuris vaticinium esse, sed etiã magnum occultarum rerum mysterium; quia suum hîc scriptura ordinem nō seruauit; quia spiritus propheticus, sermonem de vocatione extremarum gentium & de secundo Christi aduentu, interposuit. Deinde, quòd hæc non humano aliquo aut regio, sed diuino mandētur præcepto, inde manifestum euadit, sicut etiam supra annotauimus, quòd qui mittuntur ad gentem cōuulsam & dilaceratam, non simpliciter, secundum nostrum textum, nuncij vocantur, aut cursores, sed angeli, velut qui magnarum rerum legatione fungerētur. Quod non sine spiritus sancti afflatu factum, esse putandum est. Nusquam enim in scripturis (si rectè meminimus) inuenimus, quod alij, quàm Dei ministri, eiusq; mysteriorū dispensatores, Angeli appellentur; præter angelos malos & angelum Sathanæ, qui pios colaphizat, & trãsfigurat se in angelum lucis. Denique, si quod hic dicitur: ad populum terribilem, post quem non est alius, ad semē Abrahæ, hoc est Israelitas referatur, vt illi potissimum tam terribiles sint, propter ipsa Dei terrifica mirabiliaq; opera, quæ circa illos passim & pro ipsis ostēdit, vt nulla gens, hac in parte, cum eis conferri possit: esset hoc quidem tolera-

Psal. 77.
2. Corint. 12.
2. Corint. 11.

tolerabile; & quiuis facilè, qui ſcripturas legit & intelligit, crederet, ſi non præcedétia & ſequentia diſſonantiam quandam habere viderentur. Quomodo enim eandem genté pro vno tempore, nunc conuulſam & dilaceratam expectantem & cóculcatam diceret propheta, in perſona regis Aegypti: nunc ita terribilem, vt nulla altera, cum ipſa quippiá habeat, quod ad terrorem attinet, comparandum; quum illud compaſsionis, hoc admirationis; illud depreſsionis., hoc laudis; illud calamitatis, hoc maieſtatis; illud ſeruitutis, hoc imperij eſſe videatur. Neq; enim terribile dici poteſt, quod collapſum eſt, quod in partes diſtractum, quod propria virtute deſtitu-
Cantic.16. tum & alieno ſubſidio innixũ cernitur. Eſto, quod aliquando Iſrael cunctis gentibus terribilis, velut acies ordinata fuerit, non tamen ſemper, niſi quando terribilis Deus, certabat pro illo: nec diutius, quàm ipſe inuincibilis fide militabat Deo. Poſtquam verò decem & duæ tribus, ſe inuicem mutuis laceſſere cœpiſſent conflictationibus, Deiq; prœlia gerere deſijſſent, non potuit de ipſis dici quòd populus eſſet terribilis, cui alter nullus erat conferendus, quandoquidẽ, tunc temporis, Deus ipſum deſtituerat; eo quòd à fide ſua defeciſſet, & aliunde auxilium imploraſſet. Quapropter quiſque viderit, num illa ſententia, quam nos ſuperius poſuimus, probabilior videatur,

vbi

vbi quod dicitur: Ad gentem conuulſam & dilaceratam, non vt depreſſam aut humiliatam interpretati ſumus, ſed velut remotiori loco diſiunctam; procul abſtractam; ſiue ab hoc orbe noſtro longius ſeparatam. Et ſecundum hunc ſenſum, hoc quod additur: Ad populum terribilem, poſt quē non eſt alius, non vt comparatio ſit, dictum eſſe videtur, ſed velut extremi aut temporis aut loci deſignatio: ita vt poſt populum illum terribilem, nullus ſuperſit alius, in alio aut loco, aut tempore ad fidem Chriſti conuertendus.

Confirmatio prædictorum ex ſcripturis ſumpta.

CAP. V.

HOc confirmare videntur, quæ in medio illius capitis ſunt, vbi fit ſermo de tẽpore iudicij, & forma iudicis, cum dicitur: Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit ſignũ in montibus, videbitis & clangorem tubæ audietis; quia hæc dicit Dominus ad me: Ego quieſcam & cõſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. Poſtquã enim ſpiritus ſanctus Prophetę manifeſtaſſet extremorum populorum ad fidem Chriſti vocationem, adiunxit etiam ſermonem de iudicio, vt vel ſic latenter intelligentibus inſinuaret, tempus conuerſionis eorum, ferè ſimul cum iudicij tempore concurſurum. Rurſum alibi, Eſaiæ 18.

poſt-

Esai. 51. postquam dixit Deus: Me insulę expectabunt, & brachium meum sustinebunt, cōtinuò adiunctum legimus; Leuate in cælos oculos vestros, & videte sub terra deorsum, quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimētum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc, interibunt. Quid verò hoc aliud est, quàm si dixisset Deus, tantisper vniuersalis mundi interitus differetur, donec insulæ me expectare desiuerint: donec brachium meum sustinuerint, quo facto, tempus est, vt in cælos leuetis oculos vestros, terramq; deorsum videatis, Lucæ 21. iuxta illud, quod & in Euangelio legimus: His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Tunc iustorum plena redemptio erit, quos terræ sinus, quasi carcer captiuos extra cœlos detinuit, quādo ipsa visibilis cæli imago, sicut fumus liquescet; quando varia terræ species, sicut vestimentum atteretur.

Esaiæ 5. Hvc quoque spectat, quod in eodem propheta & alibi legimus: Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet. Quo ostendi videmus, quod aduentus Christi vocationem gentium, quæ in finibus terræ sunt, ex propinquo subsecuturus sit. Quia Christianus populus abiecit legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauit, ideo iratus est furor Domini in eum,

&

& extendit manum suam super eum, & percussit eum. Et illum, qui stat in signum populorum, cui nos corruptis moribus & hæreticæ prauitatis errore contradicimus, eleuat procul in nationibus, secundum illam promissionem, quæ in vltimo Esaiæ capite est: Et ponam in eis signum, & mittam ex ijs qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam & Græciam: ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Ante hanc autem promissionem, manifestè egerat Propheta, de extremo iudicio, quãdo dixit: Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo, quadriga eius: reddet in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Vnde patet quòd exiguum, aut ferè nullum spacium futurũ sit, inter extremarum gentium vocationem, & extremũ iudicium. Rursum apud eundem habemus: In veritate educet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulæ expectabunt. Videmus & hic vocationem & expectationẽ insularum, & ea quæ ad iudiciũ spectant, dominiq; aduentum, simul coniungi. Et Dauid, quando de regno Christi, quod est Ecclesia cecinit: Dominus, inquit, regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio

Esaiæ 66.

Esaiæ 42.

Psal. 96.

ctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: vbi lætitiam multarum insularum, & illa quę ad iudicium referuntur, coniunxit. His consonant,
Sopho. 2. quæ in Sophonia legimus: Conuenite, congregamini gens non amabilis, priusquam pariat iussio quasi puluerem transeũtem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini.
Sopho. 3. Et in sequenti capite: Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes & colligam regna. Et effundã super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei, deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Aethiopiæ inde supplices mei, filij dispersorum meorum, deferent munus mihi. Hic quoque propheticus sermo quorundam populorum, qui in sortẽ filiorum Dei eliguntur, ad fidem accessum, & peragenda, in extremo iudicio, commiscet; quasi vtrunq; sub idem tempus euenturum sit. Quemq; Esaias dixerat populum terribilem, Sophonias vocat gentem non amabilem: & vtrique in hoc concordant; quod ostendunt huiusmodi populum in fine conuertendum, vltra flumina esse Aethiopiæ. Esaias dixit, interprete Pagnino, O terra vmbræ alarum, quæ est trans flumina

mina Aethiopiæ. Sophronias verò: Vltra flumina Aethiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum, deferent munus mihi. De munere autem deferendo Domino conſentit oraculum Eſaiæ: In tempore, inquit, illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo & delacerato, à populo terribili; poſt quem non fuit alius; à gente expectante & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius. Et additur: Ad locum nominis Domini exercituum, montem Syon. Quamuis itaque, ſecundum literæ ſenſum, munus illud de ter tremendo altaris Sacramento intelligendum eſſe, aſſerere quis poſsit, quod apud Indos nunc, cum ſumma mentis deuotione, quotidie offerri Deo, & frequenter communicari, certiſsimum eſt, non ita tamen literæ conuenire poterit, quod in fine adijcitur: Ad locum nominis Domini exercituum montem Syon. Nequaquam enim veriſimile eſt, quod vnquam populus Indicus, cum externis muneribus, ad Iudaicam Hieruſalem, ſeu ad mõtem Syon terrenum ſit venturus. *Non enim*, inquit, Auguſt. (loquens de gentibus conuertendis) *de locis ſuis migrando venient, ſed in locis ſuis credendo.* Quare ſi ſpiritualiter accipi debeat, quod de munere Domino deferendo dicitur, ad locum nominis Domini exercituum, ad montem Syon: non eſt cur dubitemus, quin non ita multo poſt, propagato vbique

Eſaiæ 18.

Sacramẽtum altaris frequentatur apud Indos.

Auguſt. ſuper Pſal. 85.

apud iſtum populum Euãgelio, & totũ mundum ſuo ſplendore illuſtrante, examen vltimum ſit futurum, in quo non amplius conuulſus, ſed fidei ſocietate nobis cõiunctus dicetur; non dilaceratus erit, ſed charitate vulneratus: non terribilis apparebit, ſed totus amabilis, totusque candidus, & illibatus ſeipſum offeret, velut gratiſsimum munus Domino, in loco nominis Domini exercituum, in ſublimi monte ſpeculantis Syon, & faciem Chriſti ſui iugiter contemplantis.

Indorũ munus.

De commendatione Ordinis Societatis Ieſu: & quare, qui ad Indos miſsi ſunt, angeli vocentur.

CAP. VI.

PORRÒ, qui per veloces angelos, ad populum terribilem miſſos, intelligẽdi ſunt, nulla apud illos difficultas eſt, qui nouerunt, quàm ſanctam, quàm candidam, quàm irreprehenſibilem agant vitam, qui Romani Pontificis authoritate ſuſcepta; velut angeli, & deuotione alacres, & ſpiritu, per vaſtiſsimi maris pericula, in illum incognitum orbem tranſuolauerunt. Quare Eſaias in Synagogæ perſona, præ rei nouitate admirabundus, intuens eos, quærit alibi: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Nubibus eos comparauit, partim, propter celerem eorum obedientiam; partim

Eſai. 60.

verò

verò propter affluentem verbi Dei prædicandi, & prærogatiuam & gratiam, qua Spiritu sancto corda ipsorum intus illustrante, documenta cœlestia, verius fundunt quàm dicunt; verius pluunt, quàm dispẽsant: vel partim (vt Hylarij verbis vtar) *quia vltra terrenam originem mortalemq; degentes, se in sensum cœlestem & vitam, (vt ita dicam) aëriam transtulerunt*. Quod autem columbis ante fenestras suas, aut obambulãtibus, aut gementibus assimilãtur, in hoc duplex commendationis testimonium, pacificæ Iesu societati asscribitur. Quemadmodũ enim columbæ fellis acerbitate carentes, simplicitate, secundum Euangelium, commendantur, sic in illa Societate nihil maiore admiratione dignum cernitur, quàm mentis, conuersationis, vitæq; simplicitas, cum spiritus paupertate coniuncta. Deinde vt columbæ fixum habentes domicilium, vbi aliquãdiu rauco gutture, ante cancellos suos, triste quiddam meditando ingemuerunt, in patulos cãpos auolant, vnde non solum satiatæ, sed & comitatæ redeuntes, magnam secũ syluestrium columbarum cateruam, domum deducunt, non sine fœnore illius, apud quem hospitantur; sic Iesu Societas, postquam aliquot iam annis in Europa, velut in primæuo domicilio Christianæ gentis ingratitudinem, grauiter ingemiscens, deplorauit, auolare iussa est ad exteros populos, velut ad syluestres indomitasq;

Hylarius in Psal. 67.

Matth. 10.

Esaiæ 38. Ibid. 59.

feras, vnde circa mundi vesperam, cum exultatione reditura, quod in cœlestibus mansionibus, eousque vacuum manserit, copioso Indorum replebit agmine. Sunt, nihilominus nunc ibi, & alij Patres, ex ijs, qui sanctorum Dominici & Frãcisci pijs institutis se mãciparunt; qui pro sua magna deuotione, & prædicationis studio, nõ exiguum referunt fructũ.

POSTEA quàm igitur, admirans Propheta, sciscitatus fuisset: Qui sunt isti, qui vt nubes, volant, & quasi colũbæ ad fenestras suas? responsum est illi à Domino: Me enim insulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longe. Quandoquidem non in propria persona Propheta, quæsierat, quinam essent illi, qui, vt nubes, volarẽt; ideo Dominus illi, tanquam Synagogæ personam gerenti respondit, quòd se, ob id, insulæ expectarent, vt filios eius inde adduceret; non tamen quælibet insulæ, sed quasi remotissimæ; tales videlicet ad quas nauibus, per magnum Oceanum, esset appulsum; in principio, hoc est, vel in exordio renascentis mundi post diluuium, vel post dispersionem Babylonicam, vel etiam, in principio illius tẽporis, quo primum fabricatis, secundum Arcæ formam nauigijs, mare tentari cœptum est. Et quamuis incolæ primi istarũ insularum, ex stirpe Abrahæ orti non fuerint, de cuius semine Synagogæ prodijt fœtus, experientia tamẽ discimus, multos

Esai. 60.

multos esse Iudæos, in extremis illis mundi partibus inuentos; & omnes suæ legis acerrimos æmulatores. Hoc patet ex literis, quas P. Gaspar Belgæ Societatis Iesu fratribus, in Europa existentibus, ab Ormutio scripsit. De his ad Synagogam, tanquam de suis filijs dictum existimo, quod additur: Vt adducã filios tuos de longe; illos nimirum filios, de quibus alibi per Esaiam dictum est: Ab oriente adducã semen tuum, & ab occidente cõgregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et tu Israel, serue meus Iacob, quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ: & à longinquis eius vocaui te. Rursum, vbi Dominus per Ieremiam prophetam dixerat, clamaturos aliquando pios & dicturos: Salua Domine populum tuum reliquias Israel: continuo addidit: Ecce ego adducam eos de terra aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ. Et adducam eos, per torrentes aquarum, in via recta, & non impingent quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Deinde per hoc quod cõtinuo sequitur: Audite verbum Domini gentes & annunciate in insulis, quæ procul sunt: & dicite: Qui dispersit Israel congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suũ, ostẽdit propheta, quo tẽpore Dominus reliquias

P. Gaspar Belgę ab Ormutio scripsit.

Esaiæ 43.

Ihere. 31.

Iſraelis, ab extremis terræ congregaturus ſit: tunc nimirum cum illis gentibus prædicatur verbum Dei, quæ in inſulis ſunt, procul à Iudæa diſtantibus.

Quare Iudæi per vniuerſum orbem diſperſi ſint.

CAP. VII.

Ambroſ. ſermo. 15. in Pſal. 118.

DISPERSI *ſunt autem Iudæi*, inquit Ambroſius, *vt reliquiæ eorum ſaluæ fierent ſecundū electionem gratiæ*. Quantumuis meruerint, ob perfidiam ſuam occidi à Deo, & funditus extirpari; non tamen occiſi ſunt, ſed diſperſi, vt qui in proprijs ſedibus conuerti noluerunt, vel ſaltem in alienis conuertantur. Si non omnes vt filij promiſsionis, aut vt hæredes teſtamentorum ſaluentur, reliquiæ tamen per vniuerſos mundi terminos ventilatæ, ſecundū gratiæ electionem, quæ gentibus fit, ſaluabūtur. Secundum illud, quod Romanis Apoſtolus ſcripſit: Sicut aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis, propter incredulitatem illorum, ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael donec plenitudo gentium intraret: & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Auguſtinus verò, ideo diſperſos inter gentes & à proprijs ſedibus auulſos dicit, *vt Eccleſia quæ vbique eſt, eos teſtes in omnibus gentibus haberet prophetiarum, quæ de* Chriſto

Roma. 11.

Auguſt. li. 18. de ciuita. cap. 46. 47.

Christo sunt præmissæ. Nihil est enim, inquit, *firmius ad conuincendos quoslibet alienos si de hac re contẽderint, nostrosq́; fulciendos, si rectè sapuerint, quàm vt diuina prædicta de Christo, ea proferantur, quæ in Iudæorũ scripta sunt codicibus. Ergo occisi non sunt, sed dispersi; vt quamuis in fide vnde salui fierent, non haberent, tamen vnde nos adiuuaremur, memoria retinerent: in libris suffragatores; in cordibus nostri hostes; in codicibus testes.* Et alibi: *Dispersi sunt per omnes gentes nusquam habẽtes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Iudæi sunt, vt libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatũ Christum, proferimus paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, vt cum Euangelio, quod prædicamus, finxerimus prophetas, per quos prædictum videretur, quod prædicamus: hinc eos conuincimus, quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt. Omnes ipsas literas habent Iudæi. Proferimus codices ab inimicis, vt confundamus alios inimicos. Codicem portat Iudæus, vnde credat Christianus. Librarij nostri facti sunt, quomodo solent serui, post dominos, codices ferre, vt illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Et rursum: *Dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si forte quando aliquis paganus dubitauerit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum euidentiam obstupescit, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas, de codicibus Iudæorum probamus, quia hoc totum ante prædictum est. Apud illos sunt prophetæ &* lex,

Idem lib. de fide rerũ inuisi. cap. 6.

Idem in Psal. 56. in princi.

Augustin. in Psal. 58. serm.

Idem. In Psal. 40. in fine.

lex, in qua lege, & in quibus prophetis Christus prædicatus est. Quando agimus cum paganis, & ostendimus hoc euenire modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est, de nomine Christi; de capite & de corpore Christi; ne putent nos finxisse illas prædicationes, ex his rebus, quæ acciderunt, quas existimant nos conscripsisse, quasi futura essent, proferimus codices Iudæorum. Tanquam capsarij nostri sunt, studentibus nobis codices portant. Hæc Augustinus: Itaque immensa Dei benignitas, nó solum nunc erga gentilem, verum etiam Iudaicum populum, laudanda plurimũ & prædicanda est. Sicut enim sera gentium Indicarum in Christum fides, per Scripturas & testimonia Iudæorum, qui illic sunt, confirmata crescit quotidie magis, & latius dilatatur; sic diuturna horum perfidia, ex credulitatis illorum facilitate, ad æmulandam Indorum deuotionem excitatur. *Vsqueadeo enim Iudæos Deus dilexit*, inquit Sedulius post Hieronymum, *vt propter salutem illorum, gentes vocaret quo eas videntes, ad regnum Dei admitti, vel sic facilius conuertãtur.* Et Theophyl. *Seruatæ sunt, inquit, gentes, vt prouocarent Hebræos, hoc est, vt gentium honor mordens hos, saltem ex huiusmodi aduersum illas contentione, persuadeat ad Christum accedere*: secundum illud Apostoli dictum de Iudæis, quod illorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmulentur, *hoc est*, teste Sedulio, *vt conuersationem gentium videntes, & testamentum Dei, quod ipsi prius acceperãt, illis traditum, & legem & prophetas apud eos maiore & digniore haberi*

Sedulius, In Collectan.

Theophyl.

Roma. 11. In eundem locum.

beri obseruantia zelum capiant etiam in nouißimis saltem temporibus, sicut & in primis, vt dicit Chrysost. *vbi nos ad fidem accesßimus: longeq; venerabiliores apparuerunt res nostræ, quàm illorum; & ipsi zelotypia laborarunt, & humiliati sunt, & ita meliores facti, quàm, dum à prophetis erudirentur, & prodigia viderent. Nam ex æmulatione nostri, rectè se gerunt; nullus ipsorum vel pueros nunc immolat, vel ad idola currit, vel vitulum adorat.* Sic ille. Primus quoque Moyses, teste Paulo, dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipiẽtem, in iram vos mittam: *quasi dicat*, vt habet Hieron. *eos, qui non sunt gens mea, vocabo, & credent mihi ad vestram irritationem, vt quibus maiores debuistis esse, gaudeatis æquari; sicut, si quis habeat filium inobedientem, & ad corrigendum eum, dimidium patrimonij sui det seruo suo, vt tandem ille conuersus gaudeat, si vel tantum accipere mereatur.* Dispersi sunt ergo Iudæi, vt passim gentes ad fidẽ vocarentur. Seruatæ sunt etiam quædam gentes, vsque in finem, absque fide, vt filij Dei, qui erant dispersi, simul cum ipsis congregarentur in vnum: vt nunc reconcilientur ambo populi, in vno tempore, & in vno corpore Deo; ij qui longè fuerunt, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo; & ij, qui prope, velut ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum patriarcharum & prophetarum; vt neq; Iudæi sine gentibus, neque gentes sine Iudæis consummarentur.

Chrysostom. Demonstra aduersus gẽtiles.

Roma. 11.

Hierony. in commentarijs.

Ioan. 11.

Ephe. 2.

Hebr. 11.

Quomodo, & quando Iudæi primum in Indiam venerunt: & quòd modo in patriam suam reuerti dicantur.

CAP. VIII.

SED est mirandum, quomodo, & quando Iudaicus populus venerit, in illas mundi partes remotissimas, vbi cum multis infidelibus, qui nunc conuertuntur, extra omnium hominum notitiam, hactenus sedit, sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod; quum hoc à nullo historiographo fide digno, literis fuerit proditum; nisi quod hac nostra ætate, id discimus experiétia, quod scriptorum veterum scientia non accepit. Verum, dum libros Regum voluimus, & Prophetarum scrutamur oracula, videmus filios Israel, hoc est decem & duas tribus, à varijs ethnicorum regibus expugnatos; & nonnúquam in captiuitatem ductos. Quare nó difficile creditu est, quo graue illud seruitutis excuterent iugum, non habentes vllam spem reuertendi aliquando in patriam suam, quòd se paulatim per terras & loca diuiserint, quærentes sic aut vitæ libertatem, aut commoditatem solitam seruiendi Deo. Hoc imprimis fecisse narrantur decē tribus, quæ Israel vocabantur, *quarum multitudines*, vt Iosephus inquit, *inæstimabiles, minime possunt numero comprehendi duabus tribubus, per Asiam & Europā consistentibus, & Romanis obsequentibus.* De decem autem tribubus, quæ tempore Iosephi trans Euphratem commorari

Oseæ 3.

4.Reg.15.
4.Reg.17.

Iosephus lib. 11.cap.5.

morari probabantur, & tempore Hieron. Per- *Hieronym. in Com. 1 cap. in Osee.*
sarum regibus seruiebant, vbi nequaquam tributa & sti-
pendia dabant, vt liberi, sed redacti erant in vltimã ser-
uitutem: sic apud Esdram legimus, in interpre- 4. Esdr. 13.
tatione nocturnæ visionis. Et quoniam vidisti eum (loquitur Pater de filio) colligentem ad se aliam multitudinem pacificam, hæ sunt decem tribus, quæ captiuæ factæ sunt, de terra sua, in diebus Oseæ regis, quem captiuum duxit Salmanasar rex Assyriorum, & transtulit eos trans flumen: & translati sunt in terram aliam. Ipsi autem sibi dederunt cõsilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum: vel ibi obseruare legitima sua, quæ non fuerant seruantes in regione sua. Per introitus autem angustos fluminis, Euphratem introierunt. Fecit enim tunc altissimus signa, & statuit venas fluminis vsquequo transirent. Per eam enim regionem, erat via multa itineris, anni vnius & dimidij. Nam regio illa vocatur Asareth. Tunc inhabitauerunt ibi, vsque in nouissimo tempore; & nunc iterum, cum cœperint venire, iterum altissimus statuet venas fluminis, vt possint transire. Propter hæc vidisti multitudinem cum pace. Paulo autẽ antè dixerat: Ecce dies veniunt, quãdo incipiet altissimus liberare eos, qui super terram sunt, & veniet in excessu mentis, super eos, qui in-

habitant

habitant terram. Et alij alios cogitabunt debellare: ciuitas ciuitatem: & locus locum: & gens aduersus gentem: & regnum aduersus regnum. Et erit cùm fient hæc, & contingent signa quæ antè ostendi tibi, & tunc reuelabitur filius meus, quem vidisti, vt virum ascendentem. Et erit, quando audierint omnes gentes vocem eius, & derelinquet vnusquisque in regione sua bellum suum, quod habent ad alterutrum & colligetur in vnum multitudo innumerabilis, sicut volentes venire & expugnare eum. Ipse autem stabit, super cacumen montis Syon. Syon autem veniet & ostendetur omnibus parata & ædificata, sicut vidisti montem sculpi sine manibus. Hæc licet proferantur de libro, qui, quorundam Iudæorum & multorum Patrum Catholicorum iudicio, apocryphus est, non minoris tamen sunt authoritatis, quàm quod ex tertio B. Cyprianus, & ex quarto libro Ambrosius citat: Videmus enim hic, in primis veritatem seruari historiæ, quæ quarto Regum cap. 17. scribitur, de Salmanasar rege Assyriorum à quo rex Israel Osee, cum populo, captiuus abductus est. Deinde, quod Christus ait in Euangelio, quando de signis agebat iudicij: surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum; non aliunde, quàm ex loco desumptum videtur. Adde, quòd sicut Christus dixit: Et

Cyprian. in epist. ad Pōpe. cōtra episto. Stephani. Ambros. lib. de bono mortis, cap. 10. & 11.

Matth. 24.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe,in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, ita & hic dicitur, quod tunc reuelabitur filius Dei, cum audierint omnes gentes vocem eius. Poſtremo quod ipſe ſtabit ſuper cacumen montis Syon, quod Syon veniet, & oſtendetur omnibus præparata, & ædificata: hoc & B. Ioannes in Apocal. dicit: qui vidit agnum ſtantem ſupra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor milia,habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum, in frontibus ſuis: & ſanctam ciuitatẽ Ieruſalem nouam deſcendentẽ de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Sic quod in interpretatione huius viſionis, dicitur de decem tribubus, quod tunc inhabitauerunt ibi vſque in nouiſsimo tempore, & nunc iterum cum cœperint venire, iterum altiſsimus ſtatuet venas fluminis, vt poſsint tranſire, videtur omninò concordare cum eo, quod Eſaias prophetauit: Et erit in die illa, adijciet Dominus ſecundò manum ſuam,ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Elam, & à Sennaeir, & ab Emath, & ab inſulis maris. Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael. Et diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ, & auferetur zelus Ephraim,

Apocal. 14.

Eſaiæ cap. 11.

Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt: Ephraim non æmulabitur Iudam & Iudas non pugnabit contra Ephraim; & volabunt in humeros Philiſtijm. Per mare ſimul prædabuntur filios Orientis. Idumea & Moab præceptum manus eorum: & filij Ammon obedientes erunt. Et deſolabit Dominus linguam maris Aegypti, & leuabit manũ ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem riuis, ita vt tranſeant per eum calceati. Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyrijs, ſicut fuit Iſrael in die illa, qua aſcendit de terra Aegypti. Sunt qui hęc non ad ſecundum ſed ad primum Domini referunt aduentum, Hieronymi ſequentes ſententiam. Alij verò qui ad ſecundum ſpectare putant, & in fine temporum perficienda contendunt, iudaizare dicuntur ab Hieron. quia cùm plerique omnes Iudæorũ Rabbini opinentur, quòd Meſsias nondum venerit, vult D. Hieronymus, vt qui prædictã prophetiam in fine mundi complendam dixerit, Iudæos imitetur, qui venturum Meſsiam adhuc expectant. Sed multum diſcriminis, hac in re aduertere eſt, inter Catholicum virum & Iudæum. Quod Catholicus credit, hoc Iudæus negat. Catholicus & veniſſe Meſsiam, & ſecundo iterum venturum credit, neutrum cõfitetur Iudæus. Vt tamen crederet, quòd certo ſemel eſſet venturus, perſuaſerunt ei promiſſa di-

Hieronym.

Diſcrimẽ inter Catholicum virũ & Iudæum.

ſa diuina, & oracula prophetarum: vt autem negaret, quod nondum venerit, præpoſtera fecit, aut malè examinata per eum, ſcripturarum ſanctarum intelligentia. Vbicũque enim humile quid, aut infirmum de Meſsia dici, in ſcripturis videbant Rabbini, quod nos in primo eius cognouimus expletum fuiſſe aduentu, ibi tergiuerſabantur, quaſi non ſcriptum eſſet de eo, ſed de alio quouis; *aut cælabant* (vt Hieron. verbo vtar) *veritatem mendacio*. Ea verò, quæ eius maieſtatem & gloriam prædicabant, regnumq; perpetuum, plenis vbique ſonabant buccis; & abnegantes primum eius aduentum, qui humilis fuit, in illum qui futurus eſt glorioſus, cuncta referebant; in quo libenter omnes ſcriptores Catholici ipſos imitantur. Nec tamẽ propterea Iudaizare dicendi ſunt, ſicut, poſt Doctiſsimum Hieronymum, non indoctus Franciſcus etiam Forerius dixit. Quia non negant, ſicut Iudæi, aduentum Chriſti primum, qui ſecũdum etiam expectant, quem illi necdum ſciunt; licet id, quod in primo eius aduentu non putatur expletum, cum cæcutientibus Iudęis, in aduentum proximè futurum extendant. Quod autem oraculum Eſaiæ prædictũ, iuxta literam, non minus ad ſecundum, quàm ad primum Chriſti aduentum ſit referendum, non Iudaica fide aſtruimus, ſed noſtri temporis probamus experientia.

Iudæi quare negent Chriſtum nondum veniſſe.

Hieronym.

Frãciſcus Forerius in Cõmentarijs in Eſaiam.

VIDI

Anno LXI. VIDI ego nuper quaternionem vnum impressum Antuerp. apud Ioãnem Mollijns, cui titulus erat **Nieuwe tijdinghe wt Pera ghecomen**/ in quo inter cætera & hoc continebatur, quod Hebraici populi duæ turmæ innumerabilis ferè multitudinis, ex montibus Caspijs prodirent, intra quos decem tribus, olim, vt fertur, Alexander magnus concluserat. Habebat præterea & illud, quod certo obstaculo arenosi maris, via ipsis tunc redeundi intercepta fuerit: & quod modo nouis Hispanorum inuenti nauigationibus, nec non ab Astronomo aliquo, qua via, per montes & mare egrederentur, edocti, se venire velle dicunt, vt violenta manu terram promissionis recuperent; vt illud Esaiæ quadret in eos: Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs, sicut fuit Israel, in die illa, qua ascendit de terra Aegypti. Denique testantur, qui harum rerum fuerunt exploratores, quod etiamnum extremos Turciæ fines, gladio & flammis deuastare moliantur; vt Esaiæ per ipsos compleatur oraculum. Per mare simul prædabuntur filios Orientis. Postremò verò, qui Constantinopoli sunt Iudæi (vt refert illud scriptum) inter diuersas, quas habent prophetias, vnam esse dicunt, quæ ostendit, quod à quatuor mundi partibus, dum Messias ipsorum, se manifestare cœperit, populi colligerentur, quos forte Ioannes in

Caspij montes.

Alexander magnus.

Esaiæ 11.

Ibidem.

in Apocal. Gog & Magog appellat: iuxta illud Esaiæ: Et leuabit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. In id autem quod sequitur: Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt: Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim, & volabunt in humeros Philistijm, potest accommodari, quod Diuus Hieron. de duabus, & decem tribubus scribit. *Postquam fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, in toto orbe dispersus, & omnem supputationem vicerit populi multitudo, tunc habebit licētiam Israel, qui hodie quoque captiuus est, & qui prius dicebatur absque misericordia, & non populus meus, cum duabus tribubus, id est Iuda & Beniamin, quarum magna pars in Christum credidit, inire concordiam.* Cæterum, sicut Hieron. in bonam illud loquitur partem, quasi inita concordia, decem & duas tribus corporibus separatas fides coniungeret, *& vnum sibi caput ponerent & principem de quo scripsit Ezechiel. Et princeps vnus in medio eorum, Dauid seruus meus, & resuscitabūtur, quasi ab inferis mortui, Iuda scilicet & Israel, qui in infidelitate mortui erāt,* quod ad primum Christi referri potest aduentum; sic nos in malam partem accipimus, quod Esaias dixit, & de secundo Christi aduentu prophetatum putamus; zelum Ephraim auferendum, & perituros hostes Iuda, nec amplius inter se mutuis præliaturos dissidijs; sed simul volaturos

Apocal. 20.

Vt supra.

Hierony. in Comment. 1. cap. in Ozee.

Hieron. ibid.

turos in humeros Philiſtijm, hoc eſt, in hæreticorum amicitiam tranſituros, qui ſe varijs inuoluunt erroribus, *qui cum biberint calicem Babylonis, & vinum in quo eſt luxuria, & inter cætera vitia, propter ebrietatem, regnum Dei, iuxta Apoſtolum, non fuerint conſecuti*, duplici caſu corruent, & temporaliter à fide, & in ſempiternum à perpetua beatitudine. Tunc Iudæi, qui Chriſtũ venientem in nomine patris ſui, non acceperunt, cum decem tribubus, ſi non conuertantur, Antichriſtum accipient, in ſuo nomine veniẽtem, quem caput ſibi, & principẽ conſtituẽt, de quo ſcripſit Daniel: Cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones; & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis; & ſupra quàm credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos & populum ſanctorum, ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit; & in copia rerũ omnium occidet plurimos: Et contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur. Si quis verò contendat, Scriptum illud non eſſe Autheuticum, & propterea minus credendum, quod dicit, per me hoc licebit, non repugnabo. Illud tamen, quod nemo poteſt negare, veriſsimnm eſt, quod decem tribus, non ſolùm Ioſephi & Hieronymi tempore, in captiuitate adhuc exiſtebant, verum eriam

Hieronym. Ephe. 5. 1. Corint. 5. & 6.

Ioan. 5.

Daniel. 8.

etiam tunc, cum Additiones illæ, quas habemus in Petrum Comestorē, & in Glosam ordinariam Lyræ, conscriberētur. Et quia à nullo scriptorum literis proditum est, qui ab illo vixerunt tempore, vsque ad hanc nostrā ætatem, quod decem tribuū populus, aut liberatus ex captiuitate, aut ad fidem conuersus sit, putamus, si nunc (vt dicitur) miraculo liberatus, non reuertatur in patriam, vnde captiuus abductus fuit, nec reuersurus aliquando credatur, quod, quæ Esdræ in nocturna visione ostensa sunt, & illa, quæ Esaias prophetauit, quando dixit: Et erit in die illa, adijciet Dominus secundò manum suam, ad possidēdum residuum populi sui, cum cæteris, quæ sequuntur, nihil aliud significent, quàm, quod clementissimus Deus in fine temporum, cuncta Iudæis obstacula ablaturus sit, quæ illos hactenus, quo minus crediderint, remoratura sunt; quodq; omnia spiritualia adiutoria sit dispositurus, ad ipsorum veram conuersionē, & perpetuam salutem procurandam; vt sicuti semel liberauit eos ex seruitute Aegypti, quæ corporalis fuit, sic nunc secundo liberet eos ex seruitute, quæ spiritualis est, de qua dicitur, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et quamuis D. Hierony. putat hóc tempore Apostolorum esse completum, quos Ecclesiasticæ historiæ (vt dicit) tradunt, toto orbe dispersos Euangelium prædicasse, *ita vt*

In 17. cap. 4. Reg. cap. 26. In 18. cap. Esaiæ.

Esaiæ 11.

Ioan.

Hieron. in 11. cap. Esaiæ. Psal. 67. *quidam Persas Indosq; penetrarent, & Aethiopia dat manus suas Deo*, tamē nostri temporis docet experientia (sicut etiam superius ostendimus) plurimos esse Iudęos, in quibusdam Indiæ regionibus inuentos, vbi nunquam Christiani hominis prædicatio, ante patrum nostrorum memoriam, audita fuit. Scripsit enim ante an-

Gaspar Belgæ. nos duodecim, ab Ormutio, Gaspar Belga presbyter Societatis Iesu, quod ibi habitabant Iudæi non pauci, ex his, qui primum captiui Babylonem traducti erant; cæterisq; post, in patriam restitutis, ibi remāserant; quos breui Christi religionē accepturos se sperare dixit. *Est autem regnum* (vt idem scribit) *ad sinum Persicum, qui Arabes à Persis diuidit; excipitq; duos clarissimos amnes, Euphraten & Phison ad Basoram, vbi nunc Turcæ imperium obtinent; eius regni caput est Ormutiū.*

Rex Xarases. *In hac enim vrbe Rex Xarases appellatus, Lusitanorum Regis vectigalis & stipendiarius, suam aulam & domicilium habet, alias tam potens, vt rex orientis ad occidentem vsque appellaretur. Est ipsa vrbs sanè, vt si qua alia,*

Ormutiū gēma mundi. *totius orbis pulcherrima, vt meritò incolæ dicant, si mundus esset annulus, illius gemmam futurum Ormutium. Ad hanc, inquit, Insulam, vrbemq; Ormutium misit me M. Franciscus, quo nullus adhuc nostrorum, nec alius quisquā Christianus Concionator accesserat, præter quendam Episcopum, qui postea diem hic suum obijt.* Fuit quidem D. Thomas Apostolus apud Indos, in insula Cazatora nuncupata, atque in vrbe est, Calamina sepultus, vbi incolæ vsque nunc, Christi

cultum

cultum per manus ab ipſo traditum obſeruantes, *in tanta rerum*, vt P. Gaſpar ſcribit, *ignoratione verſantur vt Chriſtiani hominis nihil omnino, præter nomen retineant*. Sed in vlterioribus Indiæ partibus, quæ iam pridem inuentæ & cõuerſæ ſunt, neque D. Thomas, neque quiſquam Apoſtolorum alius vnquam prædicauit, præter illos Patres, qui noſtra memoria illuc penetrarunt, *quorum nonnulli, ob Chriſtiani nominis confeßionem, fuerunt à Barbaris interfecti: & in ijs monachus Franciſcanus, vna cum altero Chriſtiano, qui religionem, quam Turcico habitu hactenus dißimulauerat, inſigni morte profeſſus eſt, cum aliquibus diſcipulis comprehenſus & ſagittis transfixus*. Cum igitur iſtorum Patrum conſtet teſtimonijs paſsim inter barbaros, repertas Iudæorum reliquias, quibus, ante hac, de aduentu Meſsiæ, quod præterijſſet nunquam annũciatum fuit, videmus prædictum Eſaiæ oraculum, noſtra potius ætate, quàm Apoſtolorum impletum; illudq; Pſalmiſtæ de Iudæis dictum verificari: Conuertentur ad veſperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem. Sicut enim canis, perdito hero ſuo, famelicus & veſtigiorum illius indagator, tota ciuitate diſcurrit, donec veſper immineat, eumq; domum repetere cogat, ita Iudaicus populus, neglecto Domino ſaluatore ſuo, vagabundus per vniuerſum orbem hactenus circuiuit, expectans, quærensq; Meſsiam ſuum, & incaſſam famem

Gaſpar Belge, in epiſt. ſua.

Franciſcanus ſagittis trãſfixus apud Indos.

Pſal. 58.

de aduentu eius,sustinens,quem nunc mundi vespera domum ire,hoc est,in Catholicæ Ecclesiæ congregationem intrare compellit. Vel aliter dici potest,si per canes,gentiles intelligantur,dicente Christo in Euangelio: Nolite sanctum dare canibus. & iterum: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus:quod reliquię Iudæorum,si voluerint, conuertentur ad vesperam, mundo ad occasum vergente,& famem,iuxta Amos prophetam, audiendi verbum Dei, patientur vt canes,hoc est,velut gentiles, qui magno flagrarunt desiderio credendi in Christum, & percipiendi Euangelicam veritatem. Cæterùm videamus,quod sequitur: Ipsi dispergētur ad manducandum: si verò non fuerint saturati, murmurabunt. Quod ante dixerat:& circuibunt ciuitatem; & quod modò dicit:Ipsi dispergentur ad manducādum, in idem incidit. Ideo enim Iudæi circuierunt ciuitatem,id est mundum istum; ideo per omnes mundi nationes dispersi sunt,vt foris credendo in Messiam,cibum manducent salutis suę,quem domi neglexerunt, vt conuersi intra se, dicant cum filio prodigo: quanti mercenarij, in domo patris nostri abundant panibus, nos autē hic fame perimus. Quod autem sequitur: si verò non fuerint saturati, murmurabūt,hunc habere potest sensum. Si, quæ Iudæi conceperunt de suo Messia, quæq; de ipso, ex scripturis,

Matth. 7.
Matth. 15.
Amos 8.
Psal. 58.
Lucæ 15.

pturis, imaginati sunt, impleri nō videant, nec sibi exhiberi in tēporali eius regno, quę patribus ipsorum, secundū spiritum, promissa sunt; indignabuntur, murmurabūt aduersus Deū: quod tamen non de omnibus, sed de quibusdam dici existimo; ex quorū albo & illi erūt, quos Euangelica taxat parabola, de iniquo murmure aduersus patremfamilias, qui conquerebātur, quod operarij vnius horæ, pares essent cum ipsis, in mercede, qui impares extitissent in labore, & temporis diuturnitate. Matth. 20.

Indi operarij sunt hora vndecima in vineam missi: & à Luthero vltima cœpit Ecclesiæ ætas.

CAP. IX.

QVANDOQVIDEM ergo, in operariorum, qui aduersus patrēfamilias murmurauerunt, mentionem incidimus, operæ precium est videre, quinam illi sunt, qui circa horam vndecimam, in vineam intrauerunt. Simile est, inquit Christus, regnum cælorum Matth. 20. homini Patrifamilias, qui exijt, primo mane, conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs, ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Deinde iterum exijt circa tertiam, sextam, & nonam horam: similiter & circa vndecimam, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? dicunt ei: Nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

Hanc parabolam diuersi doctores diuersimode interpretantur: quidam de hominum, alii de mundi ætatibus, intelligunt. Nõnulli referunt ad vtrasque. Qui de mundi, siue Ecclesiæ exponunt ætatibus, sic dicunt, quod operarij primo mane in vineam missi, isti credentes sint, qui à mundo condito, vsque ad diluuium vixerũt; qui hora tertia, fideles, qui à diluuio, vsque ad Abraham extiterunt: qui hora sexta, illi, qui ab Abrahã, vsq; ad Moysen fuerũt: hora nona missi in vineã, qui à Moyse, vsque ad Christũ, in Dei timore ambulauerũt: qui verò hora vndecima; hi, qui à Christi aduentu vsq; ad mundi finẽ credituri sunt. Sed nunc mouere posset quenquam, cur tempus à Christo, vsque ad sæculi finem duraturum, in vna solum hora comprẽhensum sit; cum alias Ecclesiæ ætates, velut secundam & tertiam, tribus horis, & quartam, duabus descriptas in similitudine constet; vbi tamen hæc vltima ætas, maiorem annorum numerũ etiam nunc in se contineat, quàm vel secunda, vel tertia, vel quarta. Sed ad illum annorum numerum, quem ætas prima, nullis certis horis designata continet, necdum vltima ætas peruenit. Ne igitur numerus annorum huius quintæ ætatis, secundum illam quam S. Patres fecerunt diuisionem, cuiquam aut difficultatem in intelligentia, aut dubiũ de mysterio similitudinis pariat; propterea quòd reliquę tres ætates paucio-

pauciores annos in numero, & tamen in similitudine à Christo introducta, plures horas complectantur, aliam ætatum Ecclesiæ distinctionem faciemus; salua tamen semper, & authoritate sanctorum Doctorum, & meliori sententia. Sit itaque ætas prima, quasi infantia, ab Adam vsque ad Noe, habēs annos mille sexcentos quinquaginta sex. Secunda quasi pueritia, à Noe vsque ad Moysen, cōstans annis mille quadringentis quadraginta septem. Nam secundum Eusebium à diluuio vsque ad Abraham fuerunt anni nongenti quadraginta duo; & ab Abraham vsque ad Moysen, quingenti quinque, qui numerus simul collectus facit annos mille quadringentos quadraginta septem. Tertia quasi adolescentia, à Moyse vsque ad Christum, quæ durauit, vt Driedon habet, annis mille quingentis viginti. Quarta iuuentus, quasi ætas virilis, à Christo vsque ad præcursorem Antichristi, Martinum Lutherum, à cuius diebus regnum cælorum nil patitur, & vinolenti (si Deus velit) rapiunt illud; continens annos mille quingentos, & duos de viginti. Quinta à Luthero quasi senecta incipiens, & incerto nobis spacio duratura, vsque ad Antichristum. Si enim hoc modo diuisa fuerit ætatum series, apertior erit similitudinis Christi intellectus, in qua vltimam ætatem, in vnius horæ spacio, non sine magni ratione mysterij comprehen-

Infantia Ecclesiæ.

Pueritia Ecclesiæ.

Adolescentia Ecclesiæ.

Driedon.

Iuuentus Ecclesiæ.

Senecta Ecclesiæ.

Theophyl. In 16. cap Lu. Chrysostom. 20. cap. in Matth.

disse putandus est. Licet autē Theophylactus post Chrysostomum dicat, *non oportere omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito vtiles, ac inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio esse conatu inuestigandum:* tamen impium esset, & plusquam temerarium, si quis effutire præsumpserit, quod vel in hac similitudine, vel in alia eius generis, quicquā ab ipso Christo, qui est æterna patris sapiētia, dictum fuerit, quod, aut manifesta ratione careat, aut occulto mysterio. Sanè non obscurum est, sed & rationi, & veritati consentaneum, quod D. Bernardus dicit de seipso: *Ego, vt verum fatear, iam olim mihi persuasi, in sacri pretiosiq́; eloquij textu, nec modicam vacare particulam. Spiritus namq; sapientiæ loquitur, cui non est fas, vel modicum quid omnino ascribere otiosum, aut secus dictum, quàm oportuerit.* Quod itaque Saluator noster Christus vnam horam, eamq́; duodecimam senectæ Ecclesiæ suæ assignauit, in qua operarij postremi, in vineam ingressi perhibentur; hoc ea ratione fecisse credendus est, nisi quis, sine ratione factum mentiri velit, vt, quàm illa breuis in annorum numero futura sit, ostenderet; nobisq́; occulte quidem, sed tamen verè coniecturandum daret, quod non antè postremæ gentes ad fidem conuerterentur Catholicam, quàm cum finis omnino sæculi, & rerum omnium occasus appropinquare cœpisset. Aeterna enim eius & infallibilis sapientia, hoc tunc

Bernard. ser. 72. super Cātica.

Bernard. ser. 40. super Cātica.

præui-

præuidebat, quod quidam ignoti huic terræ populi, in remotiſsimis inſulis deliteſcerent, quaſi toto die, in vacuo foro ſtantes otioſi, qui aduentãte mundi veſpera, licet vltimi ad laborem venerint, primi tamen futuri ſint in præmio. Ergo Indorum populi operarij ſunt, circa vndecimam horam in vineam miſsi, non illi fideles, qui ex gentibus, per Chriſtum, aut eius Apoſtolos ſunt conuerſi. Nam rei euentus probat hoc, nos, qui à mille ferè annis Chriſtiani fuimus, non debere intelligi per illos, qui vltima diei hora in vineam ingreſsi dicuntur: & multo minus alios, qui prius ante nos in Iudæa, in Aſia & Aphrica ſunt conuerſi. Illis enim dici non potuit, neque etiam nobis: quid hic ſtatis, tota die otioſi? qui, tanto tempore, ante veſperam, hoc eſt, mũdi finem vocati ſumus.

Ponitur ſolutio obiectionis ex illo Ioannis dicto: Filioli nouiſsima hora eſt: deinde quod iudicium ſemper expectare & formidare, neceſſarium ſit, oſtenditur.

CAP. X.

SED huic contrariari videtur aſſertioni, quod beatus Ioannes, in prima ſua epiſtola fidelibus ſcribit: Filioli nouiſsima hora eſt; & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit: & nunc antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſsima hora eſt. Si ergo, poſsit quis dicere, tunc nouiſsima hora fuit, ſeu ætas Eccleſiæ 1. Ioan. 2.

nouiſ-

nouiſsima, quando Ioãnes iſta fidelibus ſcripſit, à cuius obitu elapſi ſunt anni mille quadringenti plus minus ſexaginta, qui ſpacium ſecundæ ætatis tribus deſcriptæ horis, in annis excedunt tredecim, quomodo tu probare poteris, quod vltima eius ætas, non à Christo, ſed à Luthero incœperit; quodq; minorem annorum numerum habitura ſit, quàm
„ vel vna ex ætatibus reliquis? Hoc equidem,
„ quantum poſſum, probare conabor, & non
„ aliunde, quàm ex ſcripturis ſanctis, aut certè
„ huiuſmodi probabilibus rationum argumẽtis, quæ ſcripturis affinia ſunt. Inprimis itaque, ſi diligenter aduertamus, quò ſenſu dictum ab Apoſtolo, quáue occaſione ſcriptum
.1. ſit: Filioli nouiſsima hora eſt, & cætera quæ ſequuntur, videre non erit difficile, locum iſtum ſupradictæ aſſertioni nihil poſſe repugnare. Non enim illa Apoſtoli intentio fuit, vt vel ſæculi ætates, alias ab alijs diſtinguendo deſcriberet; vel, vt tempus à Chriſto, vſq; ad finem mundi duraturum, tanquam horam duodecimam, ſiue nouiſsimam determinare vellet, ſed vt fideles, velut prouidus pater, tenellos incautosq; filios deterreret, ne ſe peruerſis quorundam hæreticorum doctrinis ſeduci permitterent, qui myſticam Antichriſti figuram præferebant. Erant tunc in Eccleſia, aut potius extra Eccleſiam, Symon Samarites *omnis*, vt Cyrillus inquit, *hæreſeos author, & inuentor:*

Cyrillus Archiep. Hieroſo. Cathe. 6.

uentor:

uentor: Cherintus, *Marcion os impurum*, vt idem ait: & Hebeen *primogeniti* hæreticorum, & *sathanæ*, ſicut Polycarpum Marcioni aliquando reſpondiſſe, teſtatur Irenæus, qui tenellam Chriſti vineam deuaſtare moliebantur. Hos Ioannes, aut ad vocabuli ſignificationem alludens, aut ad myſteriũ iniquitatis reſpiciens, cuius illi formam nomenque gerebant, Antichriſtos, velut Chriſto contrarios, aut, vt Antichriſti prænuncios appellauit. Hic eſt enim, inquit Antichriſtus, qui negat patrẽ & filium. *Nominis autem Antichriſti proprietas eſt*, inquit Hylarius: *Chriſto eſſe contrarium*. Sicut ergo Apoſtolus, ex Chriſti verbis didicerat, Antichriſtum in nouiſsima hora vẽturum, priuſquam ſæculi conſummatio eſſet futura; ſic ſuo tempore nouiſsimam horam eſſe dixit, quando illos hæreticos Chriſto contrariari, peruerſa docendo, vidit, qui Antichriſti figuram prægerere videbantur. Quod autem in hunc ſenſum verba Apoſtoli tendant, teſtatur D. Auguſtinus, quorundam doctorum recitando opinionem, qui hunc Apoſtoli locum, ita interpretabantur. Concordat his D. Cardinalis Caietanus: *Manifeſtat*, inquit, *quo ſenſu loquatur. Quemadmodum ſunt multi Antichriſti, præuenientes illum Antichriſtum, ita nouiſsima hora eſt: ſicut præſentes Antichriſti officium exercent Antichriſti; ita præſens hora exercet officium nouiſsimæ horæ*. Deinde B. Auguſtinus in epiſtola ad Eſichium, tractans hunc

Irenæus li. 5. cap. 3.

1. Ioan. 2.

Hylarius lib. contra Arrianos in princip.

Auguſti. lib. 20. de ciuita. cap. 19.

Caietanus in epiſt. Ioan.

Apoſto-

August. in epist. ad Hesichium 80. Apostoli locum, dicit hic horam, pro tempore, positam. Consideremus, inquit, *ante quàm multos annos dixerit B. Ioannes Euangelista:* Nouissima hora est. *Et ecce, ista hora quam longa est; nec tamen est ille mentitus, sed utique intelligendus est horam, pro tempore, posuisse.* Ibidē. Augusti. Paulo ante. *Nouissima enim esse ista tempora, multis rerum signis apparentibus, quæ Dominum prædixisse legimus omnes, qui ea credimus, cernimus. Sed & mille annorum tempus, si eorum finis, esset sæculi finis, posset vniuersum dici nouissimum tempus, vel etiam nouissimus dies, quia scriptum est:* Psal. 89. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies vnus; *vt quicquid per eosdem mille annos gereretur, nouissimo tempore, vel nouissimo die diceretur geri.* M.N.Hent. *Item dixit Ioannes:* Nouissima hora est, *siue nouissimum tempus, vt condistinguatur, à tempore legis naturæ, & legis Moysi, tempus nouissimæ legis gratiæ siue nouæ.* Hinc patet Apostoli dictum, nostræ non obuiare opinioni. Si quid ergo simile, vel in Apostolorum, vel in doctorum scriptis reperiatur, quod dierum vel temporum nouissimorum, vel iudicij extremi, aut certè aduentus Antichristi, quasi iam iam instantis, mentioné faciat, hoc sic intelligi non debet, quasi præcisam determinet indubitatæ notitiæ certitudinem; sed piam quandam timoris, aut certe securitatis opinionem ostēdit, quam ex Christi monitis, veteres omnes imbiberant. Illud itaque, quod Chrysostomi tempore, vel etiā ab ipso scriptum fuit, rectius nostro tempori conuenit. Chrysostom. Homil. 34. in opere imperf. *In duodecima hora sumus. Vnde putas, quia*

candor

candor iustitiæ iam receßit de mundo, & sol radios gratiarum suarum in se recolligens reuocauit, & totam terram nigredo iniquitatum, vel mendaciorum, quasi nox fusca, cooperuit; nisi quia iam & ipsa duodecima hora finiatur? Vbique, inquit, *tenebras vides, & dubitas diem transisse? Prius item in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat, quin iam nox est? Sic primum in secularibus, & laicis Christianis incipit præualere obscuritas peccatorum. Nunc autem; quando iam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur, quia finis est mundi?* Sacerdotes mõtes dicũtur & colles.

HAEC autem non solum Chrysostomi opinio fuit, vt ex morum prauitate, vitæq; hominum corruptione, mundi finem adesse colligeret, sed etiam multorum aliorum. Vnde factum est, sicut Renanus in Tertullianum annotauit, *vt omnes veteres, atque adeo Hieronymus ipse, matrimonio parum æqui fuerint, virginitatem & castitatem maximi facientes, quod putabãt vltimum illum diem non procul abesse, memores illius Paulinæ sententiæ:* Tempus breue est: reliquum est, vt, & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Libet hic etiam annotare quod B. Ambros. super hæc Pauli verba scribit: *Breuiatum,* inquit, *tempus & reliquum dicens Apostolus finem mundo imminere significauit; quamuis sciret adhuc tempora superesse. Sed aliter scribere non debuit, propter hos, qui lecturi hæc tunc sunt, cum perbreue superesset tempus, ne semper, dum lõgè esse*

Rhenanus in quadã præfa.

1. Corint. 7.

Ambros. in 7. cap prio. ad Corinth.

esse putaretur dies iudicij, aut non timeretur, aut falsum esse æstimaretur. Illud autem, quod dicitur, cum adhuc longe sit, imminere, multum proficit. Terrorem enim incutit ad meliorem vitam agendam hominibus. Eadem ergo ratione potuit & beatum Ioannem Spiritus sanctus incitasse, vt Antichristum tunc venisse, & nouissimam diceret esse horam: quamuis necdum adesse cerneret: vt cum illo, quo ipse viuebat tempore, hoc sensisse, & scripsisse legeretur, nullus non suo tempore futurum existimaret. Quandoquidē, vt Erasmus scribit in Matthæum: *Christus voluit suos, in hac esse opinione, vt extremum illum iudicij diem semper expectarent parati, ceu mox venturum: non quòd vellet eos errare, sed quòd vere mox venit; etiam quod post aliquot annorum millia venit, si quis æternitatem contempletur. Et quod certo,* inquit, *scitur venturum, nec scitur quando, semper, velut instet, expectatur.* Cum enim iussi essent vigilare, orare, seq; parare in aduentum filij hominis, quem certo venturum sciebant, ignorantes tamen quando venturus esset, totum vitæ suæ spacium suspectum habebant, & quodlibet tempus, quasi postremum, cogitabant. *Certum tamen est* (vt inquit Augustinus) *hoc saltem manifestum fuisse Apostolis, non eorum temporibus, cum hic in carne viuerent, Dominum esse venturum, & tamen quis dubitet eos præcipue vigilasse, & seruasse, quod omnibus dixit, ne imparatos repente veniens inueniret? Ac per hoc, vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus.*

1.Ioan. 2. 3.

Erasmus in annotationibus.

In certus dies iudicij. quare.

August. epist 80. ad Hesichium.

Impara-

Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit, suæ vitæ huius vltimus dies. Hæc ille: Ideo *autem extra definitionem,* vt dicit Hylarius, *dies extrema posita est, vt largum licet* Deus *pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu, semper nos sollicitos detineret.* Namq; *dum monet nos,* inquit, *irremissos fide, intentos semper manere, securitatem cognitionis ademit, vt pendulæ expectationis incerto, mens sollicita festinans, & aduentus diem semper expectans, semper expectando speret, curamq; peruigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis detineret. Ignorantia autem hæc; non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseuerãtiam. Nec negatum id ad detrimentum est, quod ignoratum tribuit incrementum: ne scientiæ securitas negligentiam fidei dissimulatæ non exerceret; sed præparationem irremissam expectatio indefinita retineret, quæ, modo furis, metuendo semper caueret, illo eligente omne tempus ad furtum; patrefamilias vero domus, damni semper timore vigilante.* Hactenus Hylarius. Similem etiam sententiam referunt & verba beati Ambrosij: *Quærimus,* inquit, *qua ratione Christus temporum designare momenta, noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat; vt dum certa, futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubijs constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi cõsuetudinem declinemus; ne nos, inter vitia, dies Domini deprehendat.* Non enim *prodest scire, sed metuere, quod futurum est.* Nam *si diem designasset expresse, vni ætati hominum, quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi; superioris*

Hylarius Canon. 26 in Matth.

Idem li. 9. de trinita. non procul à fide.

Ambros. li. 5. de fide. cap. 8. ante mediũ.

rioris temporis aut iustus esset remißior, aut peccator secu-rior. Namq; adulter, nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere. Nec latro, obsessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi, momentis omnibus, imminere suppliciũ. Ideo ergo dixi, quod *scire non proderat, imo proderat ignorare: vt ignorãtes timeremus, vt obseruantes emendaremur.* Hæc ille:

Basilius Homil. 2. in Psal. 7.

Basilius verò dicit, *quod propterea in multis scripturæ locis, interspersus est sermo, de iudicio, velut maximè necessarius, vt conseruaret in doctrina pietatis eos, qui in Deum, per Iesum Christum, crediderunt.*

Leo primus. serm. 5. de ieiunio 7. mensis.

Bernar. serm. 3. de vigilia natiuita.

Et Leo papa: *Hæc sollicitißima meditatio debet esse sapientis, vt, quoniam breues dies istius vitæ, & incerta sunt spatia, nunquã sit mors morituro improuisa; ne inordinatum incidat finem, qui se nouit esse mortalem.* At D. Bernardus putat hoc esse totum illud, quod postulatur à Christi fidelibus, vt semper sciãt, recogitent, formidentq; venturum semel Dominum. Eius verba hæc sunt. *Illuminemus,* inquit, *nobis lumen scientiæ, priusquam de mundi huius tenebris exeamus: ne, de tenebris, transeamus ad tenebras; & tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profecto scire, quia veniet Dominus, etsi, quando veniat scire non possumus, hoc est, illud totum, quod postulatur à nobis.* Addit adhuc Bernardus: *At,* inquis, *ista scientia omnium est. Quis enim nesciat, vel nomine tenus fidelis, quia veniet Dominus; quia venturus est iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuiq;, iuxta opera sua? Non omnium ista est scientia, fratres mei, sed nec multorum, paucorum est; quia reuera pauci sunt, qui saluantur.*

1. Petr. 4.

Psal. 61.

Roma. 2.

Apocal. 22.

tur. Putásne, quia illi, qui, cum malefecerint lætantur, & exultant in rebus pessimis; vel sciant, vel recogitent, quia veniet Dominus? Non ita sé, omni impuritate polluerent, si Dominum venturum scirent, vel formidarent: sed vigilarent vtique, & non sinerent, tam grauiter, perfodi conscientias suas. Sicut enim sol, dicit Clemens Alexand. *splendore sui fulgoris obtundit, ita & mens, per hanc scientiæ lucem, omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit & otiosas, futuri iudicij memoriam super eas, tanquam radios suos emittens: ita vt ne apparere quidem vltra in anima queant.* Cum igitur sancti Patres, Clemens, Hylarius, Ambrosius, Basilius, Leo, Bernardus, rem tanti esse momenti, duxerint, irremissam iudicij memoriā in mente seruare, & aduentus Christi formam, quasi in cordis tabula, cogitationibus imaginatam depingere, quis putabit Apostolos Christi, doctos à Deo, id non sciuisse? illuminatos à spiritu sancto, non credidisse? qui, vt fideles in pietatis doctrina conseruarentur, & ne omni se iterum impuritate polluerent, sed Dominum certò venturum scirent, semperq; formidarent, etiam tunc, cùm viuerent, tempus superesse breue, & illud prope esse; quin & Antichristum venisse, & nouissimam horam esse docuerunt. Non quòd vellent discipulos suos, hoc credendo, errare, sed ne semper, dum iudicij dies esse longe putaretur, aut non timeretur, aut falsum esse æstimaretur.

Prouerb. 2.
Lucæ 12.
Clemens Alexandrinus.
1. Corint. 7.
Apoc. 1. & 22.
1. Ioan. 2.

Christus in penultima Ecclesiæ suæ venit ætate, non in vltima; & hoc scripturis declaratur.

CAP. XI.

QVARE si quis miretur nouum nostræ, quam præostendimus, diuisionis ordinem, inquirens qua scripturæ authoritate innixus, poßit conformari, legat is parabolam illam, quam ex ore quoque Christi, apud S. Lucam in hęc verba habemus. Homo quidam plantauit vineā, & locauit eā colonis; & ipse peregrè fuit multis tēporibus. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere; qui & illum vulnerātes eiecerunt. Vides hic trifariam temporis discretionem, *qua varius, terq; repetitus*, vt Hylarij verbo vtar, *seruorum ad vineæ cultores aduētus vacuusq; regressus significatur*; sed nos mysterij secretū inquiramus. Per vineam hic, secūdum communem Doctorum sententiam, electio gentis Iudæorum intelligitur: sicut etiam Esaias testatus est: Vinea Domini exercituum, domus Israel; & viri Iuda, germen delectabile eius. Dauid quoque dicit: Vineam de Aegypto trāstulisti: plantasti radices eius, & impleuit terram. Nihilominus tamen (sed iudicij absit temeritas) (non enim priuatæ opinionis pertinacia,

Lucæ 20.

Hylarius.

Esaiæ 5.

Psal. 78.

nacia, errorem inducere; sed pia intelligentia fidem ædificare quæro:) puto quòd per vineã hanc, intelligi quoque possit sancta Dei Ecclesia; cuius primordia non sub promissis, Abraham, Isaac, & Iacob à Deo factis; non sub Moysi sacrificijs, sed in primitiarum oblatione innocentis Abel, eiusq; morte inchoata sunt. Hoc etiam innuere videtur B. Gregor. in expositione parabolæ, de operarijs in vineã conductis: vbi vineam vniuersalem ecclesiam intelligit, *quæ ab Abel*, inquit, *iusto, vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Gregorius in Homil.

Irenæus quoque dicit: *Plantauit Deus vineam humani generis, primo quidem per plasmationem Adæ, & electionem Patrum.* Et licet addat, *tradidit autẽ colonis per eam legislationẽ, quæ est per Moysen,* vbi eius locationem & culturam, ad Moysi tempora & prophetarum transferre videtur; hoc tamen priori assertioni non repugnat. Quia, ex quo plantata fuit, colonis locari, & ab ijs coli debebat, alioquin vaga, lasciuiensque multis palmitibus vinea nihil fructus attulisset. Deinde, quod Chrysostomus in quodam loco, vineam mandata Dei, & alibi iustitiam, etiam cum Irenæo, interpretatur; hoc pro nostræ confirmatione sententiæ plurimum facit. Nã quicquid horum, per vineam intellexeris, siue Ecclesiam cum Gregorio, siue naturam humani generis, cum Irenæo, siue mandata Dei, Irenæus li. 4. cap. 70. Chrysostom.

cum Chryſoſtomo, æquè benè intento conueniet noſtro propoſito. Quare, ſi huius parabolæ myſterium, cum illo cōferamus, quod in parabola de operarijs in vineam miſsis, expreſſum eſt, animaduertere vtiq; licebit, quod Chriſtus Dei filius dilectus, mundum ſanguine ſuo redempturus, non in vltima Eccleſiæ ætate, *in qua mundi veſpera ſcit conditio*, ſed in penultima venerit, hoc eſt, non ſub horam temporum vndecimā, ſed ſub nonam. Miſit enim Deus Pater, qui vineam ſuam, hoc eſt, aut Eccleſiam, aut humanam naturam, aut mandata ſua, aut iuſtitiam, ab exordio mundi, colonis locauit; ſeruos ſuos ad cultores, vt de fructu vineæ darent illi. Miſit, inquam, ſemel ante diluuium, Abel, Enoch, Noë: miſit iterum, poſt diluuium, Abraham, Loth, Iſaac, Iacob, & reliquos patriarchas, vſque ad Moyſen. Miſit tertiò, à Moyſe vſque ad Chriſtum, prophetas, ſanctos duces, & principes. Qui omnes, aut inanes, aut contumelia affecti, aut cæſi, aut vulnerati, eiecti dimiſsiq; ſunt. Habes ergo mane, vſque ad tertiam, tempus ab Adam, vſque ad diluuium: habes Tertiam vſque ad Sextam, tempus à diluuio vſque ad Moyſen: habes Sextam vſque ad Nonā, tempus à Moyſe vſque ad Chriſtum. Quid verò hora nona? Audi. Dixit autem Dominus vineæ, quid faciam? Mittam filium meū dilectum, forſitan, cùm hunc viderint, verebuntur. Poſtquam

Cyprianus ſer. de reſurr.

triplex seruorum ordo, secundum Lucam & etiam Marcũ præcesſit, quem Matthæus summatim ferè comprahendit; qui verbi præcones, virtutumq; exactores, in primis Ecclesiæ fuêre ætatibus, missus est tãdem dilectus Dei filius in iuuentutis ætate, vt per huius præsentiam, euacuatis, quæ infantiæ, pueritiæ, & adolescẽtiæ erant, genus humanum in virum crescere perfectum, & quæ cœlestia essent, & æterna prægustare inciperet. *Nec enim oportuit*, vt semel professus est Augustinus, *venire diuinitus Magistrum, cuius imitatione in mores optimos formaretur ecclesia, nisi tempore iuuentutis.* At hoc, inquit, *valet, quod Apostolus dicit. Sub lege, tanquam sub pædagogo, paruulos custoditos, donec veniret, cui seruabatur, qui per prophetas promissus erat.* Quod autem hæc verè sententia Augustini fuerit, Christum scilicet in carne tempore iuuẽtutis Ecclesiæ venisse, manifestat, Serm. 2. quem super Psal 70. scripsit. Vbi enarrans versum illum: Et vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me, sic habet: *Hoc diceret etiam vnus homo, tu, ille, ego. Quia verò vox ista vnius cuiusdam magni hominis est, hoc est vnitatis, vox est enim Ecclesiæ, quæramus iuuentutem Ecclesiæ. Quando venit Christus, mortuus est, crucifixus est, surrexit, vocauit gentes, cœperunt conuerti, facti sunt martyres fortes in Christo, fusus est sanguis fidelis, surrexit seges Ecclesiæ.* Hæc iuuentus. *Progredientibus aũt temporibus confiteatur Ecclesia, & dicat: Vsque nunc annunciabo mirabilia tua: non tantum in iuuentu-*

1. Corint. 13.

August. li. 83. quæst. q. 44.

Galath. 3.

Augusti. Ser. 2. in Psal. 70.

Psal. 70.

uentute, quando Paulus, quando Petrus, quando primi Apostoli nunciauerunt, præcedente etiam ætate, ego ipse, id est, vnitas tua, corpus tuum annunciabo mirabilia tua. Quid postea? Et vsque ad senectam & senium annunciabo mirabilia tua, vsq; in finem sæculi, erit hic Ecclesia

Ad idem quoque mysterium spectasse videtur Paulus, dum Galathis, in hunc modum scripsit: Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. Hoc *exemplo*, inquit Ambrosius, *probat eos, qui sub lege fuerunt, paruulos fuisse circa meritum, nec libertatem habuisse; quia in conditione legis, erant subiecti causa peccati.* Si sub lege paruuli fuerunt circa meritum fideles, quando ipsa legis obseruatio, obedientiæ merito carere non potuit; nec humilis animorum subiectio, gratiam apud Deum non impetrare, multo vtique magis paruulos fuisse circa meritum, illos dixerimus, qui ante legem fuerũt; qui, natura tantum duce, aut occulta saltem Dei inspiratione, sibiipsis, & legem boni faciendi præscribere, & mali vitandi metas ponere debuerunt. Omne ergo tempus illud, quod filij Dei aduentum in carne, præcessit, quasi immatura paruuli ætas fuit, quæ infantiam, pueritiam & adolescentiam in se comprehendit; quibus euolutis, subsecuta est ætas virilis,

Galath. 4.

Ambrosius In eundem locum.

virilis, de qua Apostolus subdit: At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factũ sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Sicut enim hominẽ nec consilio prouidum, nec gerendis magnis rebus idoneum iudicamus, nisi iam in virilem prouectum grauitatem, & annorum maturitate, cum vitæ probitate coniuncta, puerilia quoque, & friuola negotia transcendentem; sic nec Pater cœlestis Ecclesiam aut dignam ad hoc, aut idoneam iudicauit, cui arcana sacramentorum cœlestium, spem futurorũ bonorum, & hæreditatis æternæ gloriam, per dilectum filium aperiret, promitteret, commendaret, nisi quando, eo durationis illam prouectam vidit, quasi suorum pertęsam elementorum, vt absolutis tribus ætatibus, quartam, hoc est, virilem inchoaret. *Nam & quicunque singuli*, inquit Augustinus, *ad certam sapientiã peruenerunt, non nisi ab eadem veritate, suarum singilatim ætatum opportunitate, illustrati sunt, à qua veritate, vt populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate, homo susceptus est*. Huc spectat quod Paulus in persona fortè totius Ecclesiæ, de seipso fatetur. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebã vt paruulus, cogitabã vt paruulus; Quando aũt factus sum vir, euacuaui, quæ erãt paruuli. Tãtisper ergo paruulus erat Paulus & cum Paulo Ecclesiæ status, donec

Galath. 4.

August. li. 83. quæst. 44.

1. Corint. 13.

vir vterque efficeretur. Paruulus in infantia, paruulus in pueritia, paruulus in adolescētia. Certè paruula erat Ecclesia in posteris vicinis Adæ, quibus loqui quidē multū de Deo, deq; paradyso cōcessum est, gustare aūt parum. Itē paruula in Patriarchis, paruula in Prophetis, quos tamen non solum de Deo, sed etiā cum Deo locutos, cognouimus. Gustasse insuper à longinquo, & cogitādo prælibasse ea, quæ maturiori seruabātur ætati, quam ipsi necdū attigerant, nemo est, qui ambigat. Sed quousq; vir

Ioan. 1. ille, qui ante Ioannē factus est, post ipsum nō

Thren. 1. venit, non aliud videbatur in terris, quàm lachrymæ paruulorū in maxillis eorū, iuxta il-

Psal. 29. lud Psalmistæ: Ad vesperum demorabitur fletus. At ex túc, & deinceps, virilē quandā animositatem humanū genus præ se ferens, totas cogitationum vires, ad ipsa cæli extēdere cœpit fastigia, ita vt, qui de cælo mascula facinora imperaturus aduenerat, testari cogeretur,

Matth. 11. quod à diebus Ioānis Baptistæ, regnum cælorum vim pateretur, & violenti raperent illud. Hoc de Abrahæ; hoc de Prophetarū temporibus, scriptum nusquā legimus. Hæc fuit ergo plenitudo temporis, quo Deus pater, non seruum, sed filium factū ex muliere, ad cultores vineæ misit. Filiū, inquam, & virū, vt per eum

Galath. 4. redempti, qui par Patri est, in essentia Deita-

Ierem. 31. tis, adoptionem filiorum reciperemus; & à viro, quem fœmina circundedit, viriliter deinceps

inceps agere disceremus, qui in nostræ participatione naturæ, mortalibus per omnia assimilatus fuit. Nunc itaque, vides Christum dilectum Dei filium, hora temporum nona, ad Synagogæ præsides, tanquam vineæ cultores missum, vt de fructu vineæ darent illi. Quem cùm vidissent coloni, cogitauerũt intra se dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. O cæci quid cogitatis? quid dicitis? Vestráne hæreditas erit, cum filiũ hæredem, patre viuente, & facinoris vestri audaciam inspiciẽte, occideritis? Vestráne, quam nec labore vobis, nec iure, nec sanguinis propinquitate, sed cruoris effusione vendicare vultis? An hæc hæreditas vestra? Imo non amplius vestra, sed aliorum; quin & nostra erit hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Et eiectum, inquit, illum extra vineam, occiderunt. Magna crudelitas, si facti modum inspicias: si mysterium requiras, mira suauitas. Arefacta nunc Synagogæ vinea, ob vitalem gratiarum humorem extra effusum, non vuas habet, sed botros profert amaros: fel draconum vinum eius, & venenum aspidum insanabile. Quàm vellet nunc si saperet, si intelligeret, si nouissima sua prouideret, hæredis illius mellifluum sanguinem posse libare, & vel mortuum in vlnas læta suscipere, quem tunc viuentem, extra vineam eiectum occidit. Sed vereor, ne adhuc frustra velit, cum necdum

sapiat,

Psal. 30. Lucæ 20. Psal. 126. Deut. 32.

Ioan. 7. sapiat, & quondam ipsi prædictum sit: Quæretis me, & non inuenietis; quum, qui foris
Hebr. 13. extra castra passus, & occisus est, quique foris
1. Petr. 2. sanguinem fudit, non reficiat, non viuificet, non saluet, nisi eos, qui foris inuenti sunt, tanquam oues errantes sine pastore, de quibus
Oseæ 2. dicitur: Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam
Iudæi foris sunt. consecuti. Constat quidem & ipsos nunc Iudæos esse foris, inter omnes mundi nationes, profugos, exterasq́; vagos circuire terras, sed quàm iusta de causa, suauissimus luculenter
Cyprianus, Tract. 4. de Idolo. vanita. depingit Cyprianus: *Iudæis quidem primum, inquit, erat apud Deum gratia; sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant. Inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit. Sed illi negligentes disciplinæ, superbi postmodum facti, & fiducia Patrum inflati, dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quàm fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui, & si voce taceant, exitu confitentur.*
Iudæi vagantur palabũdi. *Dispersi & palabundi vagantur soli & cæli sui profugi; per hospitia aliena iactantur. Nec non Deus ante prædixerat fore, vt vergente sæculo, & mundi fine iam proximo, ex omni genere, & populo, & loco cultores sibi allegeret Deus, multo fideliores, qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudæi, contemptis religionibus, perdidissent.* Deinde concludens verba sua Cyprianus, illud, quod ad Christi refertur

fertur aduentum, ſubiungit: *Indulgentiæ igitur huius & gratiæ arbiter, & magiſter ſermo, & filius* Dei *mittitur, qui per prophetas omnes illuminator, & doctor humani generis prædicabatur.* Sed dum fructũ miſſus à Patre locatæ vineæ exegit, non ſolum repulſam paſſus eſt à colonis, verum etiam vitæ damnum incurrit; proq; beneficio poſtulato, quod illi impendere & non negare debebãt; ſupplicium mortis inuenit.

Confirmatio prædictæ opinionis deſumpta ex ſcripturis.

CAP. XII.

QVANQVAM autem, quæ iam diximus, in illum adducta ſunt ſcopum, vt, quod in penultima Eccleſię Chriſtus veniſſet ætate, probaremus; nondum tamen opinor illis ſatisfactũ, qui exercitatos in ſcripturis, tritosq; habent ſenſus. Quapropter, ne, quod in medium proferimus, non tam confirmare, quàm oſtentare videamur, addere prædictis nonnihil cogimur: quod, ne lectori moleſtum ſit, vel melioribus fortè intento ſtudijs oneroſum, quam queat, breuiſsime expediemus. Neque tamen tam expers mentis ſenſus mihi eſt, vt putem, hoc tenui laboris mei ferculo, quorumuis doctiſsimorum hominum palatis me ſatisfacturum; quod non minus, ſupra ingenij mei vires eſſe fateor, quàm cælum digito contingere. Eſto verò quod doctioribus nihil arrideat, nihil placeat exercitatis, ſi ſim-

plicio-

plicioribus non displiceat, si pios non offendat, nunquam me (spero) aut studij, aut laboris mei pœnitebit. Sed ad rem veniamus. Legimus apud Lucam, hanc Christum dixisse similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. *Quid arbor fici*, inquit Gregorius, *nisi humanam naturam designat? quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata fuerat, seruare contempsit.* Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio, fructum quærens in ficulnea hac, & non inuenio. Hic per tres annos, Gregorius, post Augustinum, tria mundi tempora intelligit; vnum, quod ante legem; alterum, quod sub lege; tertium, quod, post legem, sub gratia est. Sed quarti anni mysterium (si rectè memini) neuter expressit; de quo vineæ cultor loquitur: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Etsi quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Quare ipsa mysterij ratio cogit nos, vt aliam annorum quatuor diuisionem constituamus. Sit itaque annus primus, quasi infantiæ Ecclesiæ ante Noë: annus secundus, tempus pueritiæ ante Moysen: annus tertius, tempus adolescentiæ ante Christum; annus quartus, tem-

Lucæ 13.

Gregorius in Homilia.

tempus iuuentutis post Christum, vsque ad Lutherum.

Hoc enim maxime temporis curriculo, quod Christi in carnem aduentum secutum est, durities Iudæorum, Euangelico sarculo transfossa sæpius: & arida incredulorum pectora infusione cœlestium gratiarum humectata, post longam sterilitatem, fertilitatis annonam promittere incœperunt. Ioannes enim Baptista, cui vineæ cultura, cum ficulnea commissa fuit, pro fide præstita instabat, vrgebat, minabatur, & excidium prædicebat, ni fructum dedisset in tempore suo. Denique, audi adhuc instantem, vrgentem, minitantem. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentia. Et ne forte velitis dicere intra vos, Patrem habemus Noë, Patrem Abraham, Patrem Moysen: dico vobis, quia filium & filiam non liberabunt, neque Noë, neque Abraham, neque Moyses, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Vide insuper cultorem adhuc magis sollicitum, pro ficulnea fecundanda, & acrius illam instigantem. Iam securis ad arborũ radicem posita est: Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Audierat forsitan Ioannes in spiritu, Christũ sibi

Matth. 3.

Ezech. 14.

Matth. 3.

ſibi dicentem, poſt requiſitos & exactos, ſed non inuentos fructus: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, fructum quærens in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? Sed hic pius interceſſor, qui poſt triennium, vt Ambroſius dicit, *areſcentem noſtri corporis humum, fidei imbre perfudit,* inducias petit, & excidium vno anno differri, vt interim ſterilis arbor, de ſpe vbertatis, ſtercoratione examinetur. *Pollicetur enim,* vt alibi Ambroſius habet, *dura cordis, apoſtolicis ligonibus, eſſe fodiēda, vt longo incultu ſitum mentis obductum, ſermo bis acutus inuertat; & corde proſciſſo, excitet ſenſum aërio ſpiramine iam vigentem, ne radicem ſapientiæ, terrarum aceruus obruat, & abſcondat.* Vides ergo, opinor, quartum annum, veluti quartam Eccleſiæ ætatem, incœpiſſe à Chriſti aduentu ſecundum carnem, ex quo humana, fragiliſq; noſtra natura, vberioris gratiæ delinita pinguedine, & fortioribus fidei argumentis in claram Dei erecta notitiam, proficere cœpit, in omni iuſtitia, & pietate; & depoſito ſterilitatis dedecore, fructum ſalutis parturire. Ab hac vtique annorum diuiſione, non videtur prorſus alienum, quod, in libro de paradyſo, ſcripſit B. Ambroſius, vbi iuxta numerū quatuor principalium virtutum, quatuor mundi tempora diſtinxit. Primùm quod ante diluuiū fuit prudentiæ accommodans; ſecūdum, poſt diluuium, vſque ad Moyſen, temperantiæ: tertium

Ambro. ſuper Lucam, 1. ca.

Ambro. ibid. cap. 13.

Ambr. de paradyſo cap. 3.

tertium à Moyse, vsque ad Christum fortitudini; quartũ quod à Christi aduentu est iustitiæ; *quia virtus est*, inquit, *in salutem omni credenti*. Roma. 1.

Altera probabilis confirmatio pro eadem opinione ex tempore mortis, & vitæ Christi petita.

CAP. XIII.

PRAETEREA si, qui pietatis est amator & cultor, concedere voluerit, sicut in sermone, doctrina, & parabolis Domini Iesu, nihil frustra, nihil inaniter dictum esse monstrauimus, quod sic quoque, ex illis rebus, quæ propius ad vitam ipsius, mortemq; accedunt, nihil otiose euenerit, nihil acciderit casu, erit fortasse & aliud, quo etsi non omnino confirmari, tamen vt veritati consentaneũ monstrari poterit, quod Christi aduentus non in vltimam, sed in penultimam Ecclesiæ ætatem inciderit. Scribunt Euangelistæ Matthæus & Marcus, de tempore mortis Iesu, quod, circa horam diei nonam, clamans voce magna, spiritu in manus Patris commendato, expirauit: quod vt otiosè scriptum esse putandum non est, sic nec etiam factum. Nam si hoc, in exẽplum spiritualis cuiusdam imitationis, secundum Apostolum, præcessit, quòd extra portam Christus passus est, quis audebit negare, quin & illud, occultum quoddam sacramenti mysterium, in se contineat, quod non quauis alia, sed hora diei nona voluerit expirare?

Supra cap. 9. Matth. 27. Marc. 15. Hebr. 13.

O Quid

1.Thimo.2. Quid ergo illud eſt, ô bone Ieſu, qui me-
Hebr. 8. 9. diator futurus adueneras, noſtramq; ſa-
Pſal. 73. lutem in medio terræ operaturus; necnō
Ioan.19. in medio latronum, medius inter cælum & terram; medio die ſuſpenſus; quod non etiam medio die, cum lux eſt altiſsima,
1.Thimo.6. clariſsimaq́;, tu, qui lucem cum Patre habitas inacceſsibilem, ſanctiſsimum tuum ſpiritum, mirabili vndiq; virtutum ſplendore, tanquā radium Diuinitatis micanté, ſurſumq; properantem, emittere voluiſti? Hæreo, obſtupeſco, quia huius ſacraméti moles ſenſum premit, & mei intellectus acié, ſecreti magnitudo obtūdit. Certè incōprehenſibilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ
Roma. 11. eius. Quis enim cognouit ſenſum Dñi? Egóne igitur incōprehenſibilia Dei, me cōprehēdiſſe, aut inueſtigabilia inueſtigaſſe, aut ſenſum Dñi cognouiſſe arbitrabor? Abſit, abſit, nihil profecto minus. Quis enim hoc præſumat? Verūtamen, ſi non abſq; mentis trepidatione, palam ad ædificationem proferatur Eccleſiæ, quod priuatim ſecure ſine errore ſentitur, nō ſtatim ſuperba præſumptio, debet iudicari, aut hæretica petulantia. Quia multa eorum, quæ ſine periculo neſciuntur, pio mētis ſcrutinio inquirere, & opinari licet, dummodo quæ inuēta ſunt, pro vniuſcuiuſque arbitrio, incon-

inconsultè non definiantur. Videat igitur quicunque volet (nisi melius fortè, aut profundius ipse habuerit) num ideo Dominus Iesus, hora diei nona, imponere finem vitæ suæ voluerit, vt quota temporum Ecclesiæ, pro qua moriebatur, tunc fuerit hora, quãdo passurus in carnem venit, secreto mortis suæ tempore significaret: vt sicut illum, deuicta mortis tyrannide, in crucis ligno triumphantem, expirasse vitam cognoscimus, tribus diei partibus, Manè, tertia, sexta absolutis, sic & in mundum venisse, ac pro omnium salute mori voluisse intelligeremus, quando iam tres durationis Ecclesiæ partes, vt est infantia, pueritia & adolescentia, constabat præterijsse. Adde & illud, tanquam firmum huius sacramẽti fundamentum, quod ille Seruator benignissimus, in ea annorum suorum ætate, mortis supplicium subijt, in qua, transactis iam ter denis annis, quasi tribus vitæ suæ spacijs reuolutis, quartum, quod iuuẽtutis est, inchoabat. Si enim, prout Apostolus Paulus in epistola ad Ephesios, habet, quælibet defunctorum corpora, in tali ætatis mẽsura, postquam in terræ puluere dormierunt, euigilabunt, vt eam annorum plenitudinem, vitæq; maturitatem compleuisse videantur (licet vel citius, teste Augustino, obierint, vel diutius vixerint) quam Christum tempore mortis, & resurrectionis suæ, credimus habuisse; non erit Ephes. 4.

etiam abſurdum, ſi dicamus, quod non prius mori ſanguinemq; fundere voluerit, quàm cum ipſe, ad illam ætatis plenitudinem, viuẽdo perueniſſet, quæ tunc in Eccleſiæ ſuæ duratione completa fuit: ita vt nec ſerius, nec citius, genus humanum morte ſua redimere ſit dignatus, quàm cùm in æquali ætatis menſura, & vita ipſius, ter deno annorum variata progreſſu, peccati mortem extinguere, & ter repetita temporum ſerie, nouam, nouus Eccleſiæ ſtatus gratiam poſsit inchoare.

Quædam nunc euidenti rerum manifeſtantur notitia, quæ etiam ſanctiſsimis Eccleſiæ doctoribus occultata fuerũt.

CAP. XLIIII.

QVANQVAM itaque ſupradicta diuiſio, nonnihil diſcrepet ab illa, quam ſancti Patres, Irenæus, Origenes, Hylarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius, Theophylactus, innumerique alij fecerunt, non tamen (quod abſit) erraſſe dicimus eos, nec ipſorũ diligenti ſtudio, quod in ſanctis ſcripturis elucidandis adhibuerũt, derogamus, ſed quiuis hoc, velit nolit, fateatur oportet, id nobis, poſtremis hiſce temporibus, euidenti rerum notitia manifeſtari, quod illis, ante annos nógentos, mille, mille ducentos, aut trecentos, diuina quadam diſpenſatione occultatũ fuit. Neſcierunt enim ſanctiſsimi & Martyres & Pontifices, tantos adhuc populos ſupereſſe, tamq;

tamq̃ue vastam restare terram, quæ non, aut Apostolorum, aut eorum successorum prædicationem, regniq; Dei notitiam accepisset. Quid igitur mirum est, si, tempus post Christum, mundi senectam dixerunt, quãdo cunctis gentibus Euangelium Christi, aut tunc prædicatum, aut, suo adhuc tempore, prædicandum esse putabant? quando rerum omniũ finem, quasi ad seram vesperam, appropinquare credebant? Atqui cùm nos audiamus, abhinc annis plus minus quadraginta, regna quædam potentissima, opulentissimaque ad Christianam fidem conuerti cœpisse, non ineptè horam diei vndecimã tempori assignamus, quod à Martino Luthero, seu ab anno octauo & decimo, supra millesimum quingẽtesimum, vsque ad Saluatoris nostri labetur aduentum; in quo, operarijs vineæ redditurus est denarium diurnum, à nouissimis incipiens Indis, vsq; ad primos vocatione Iudęos.

SED vereor, ne murmur aliquod, aut susurrium obstrepat insipientiæ meæ, quod solus ego & inermis aduersus inuictam illam Doctorum aciem pugnare velle videor. Esto, quod videar, absit tamen, vt velim. Illos, ego clientulus, vt dominos meos, discipulus vt magistros, filius vt patres admirari, venerari, diligere semper, & volui & debui; nec ab hoc animi studio cessabo vnquã. Num ergo cum illis certamen dissensionis inire velim, aut

etiam, si velim quam maxime, me vnquã hoc posse, præsumam? Certè non præsumo, quia, quod inermis sum, fateor: & ob id, non pugilis, sed tironis loco haberi desidero. Quo me ergo defendam? quo me vertam? Hinc sanctorum Patrum reuerentia, sententiarum suarum requirit sequelam; illinc rerum præsentium experientia, aliam cogit arripere opinionem: Hinc zoilorum mordax cachinnus silentium indicit: illinc potioris intelligentiæ

1.Corint.9. veritas, tacere non permittit. Mea itaque defensio, apud eos, qui rationẽ insipientiæ meæ, inquisituri sunt, hæc est. Nunquid non habemus potestatem, piè & reuerenter, scripturarum inuolucra scrutandi? Nunquid nõ Pharisæi, & legisperiti potestatem hanc habuerunt? Nunquid non dictum fuit illis à Domino: Scrutamini scripturas, quia vos putatis, in ipsis, vitam æternam habere? Quid de nobilibus Berrhæensibus dicam? Nunquid non quotidie, scrutantes scripturas, inquisierunt, num hæc, quæ ab Apostolis dicebantur, ita se haberent? Quid prophetæ? An non & ipsi, prophetantes, scrutati sunt, in quod, vel quale tempus, prior Christi in carnem aduentus incideret? An ergo soli Iudæi? soli nobiles? soli sancti hanc, potestatis scrutandi scripturas libertatem acceperunt, & non etiam Ecclesiæ filij, sacerdotes & pastores, lactis licet indigi, holerisq; mãducatores? Equidem scio, scri-

Ioan. 5.
Act. 17.
1. Petr. 1.
Hebr. 5.
Roma. 14.
Prouerb. 25.

scriptum est, quod scrutator maiestatis, opprimetur à gloria, sed non scripturarum pius inquisitor; *modo purū* (vt Bernardi verbo vtar) *& simplicem oculum adferat, & nisi non Dei, sed suam quæsierit gloriam*. *Qui enim*, inquit Hylarius, *piè infinita*, hoc est, non definita, *persequitur, & si non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo*. Idem itaque monet *incipiendū, procurrendum, & persistendum esse. Et si non perueniturū*, inquit, *te sciam, gratulor profecturum*. Similem sententiā habet sanctissimus Apostolorū successor Irenęus, cuius verba hæc sunt: *Sensus aūt sanus, & qui sine periculo est, & religiosus, & amās verum, quæ quidē dedit in hominū potestatē Deus, & subdidit nostræ scientiæ, hæc prompte meditabitur, & in ipsis proficiet, diuturno studio, facilem sentētiam eorū efficiens. Sunt autē hæc*, inquit, *quæ ante oculos nostros occurrunt, & quæcunq; apertè, & sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in scripturis, & ideo parabolæ debēt ambiguis adaptari. Sic enim, & qui absoluit, sine periculo absoluit, & parabolæ ab omnibus similiter absolutionē accipiēt; & à veritate corpus integrū, & simili aptatione mēbrorum, & sine cōcußione perseuerat*. Hisce verbis, nō obscure, testari videtur Irenæus, q̄ in illis, quæ certa definitione fidei statuta non sunt; quæq; hominū potestati, & sciētiæ subdidit Deus, meditari prompte & diuturno proficere studio debeamus. Eius generis, opinor, dogmata sunt, quæ ex parabolarum absolutionibus, vel ad mysticum sensum, vel ad moralem exhortationem, expediūtur. Quamdiu

Bernardus.

Hylarius. lib. 2. de trinitat. aliquātо post princip.

Irenæus li. 2. cap. 46. in princip.

ergo sensus ille sanus sit, & religiosus & amās verum, non dissipatur Ecclesiæ pax, nec scripturarum violatur integritas. Sed varia expositionum & intelligentiarum excogitatio facit, vt, velut perfectum corpus, ex concinna aptatione diuersorum membrorū simul conflatum, ipse sententiarum multarum aceruus, pro fidei & veritatis confirmatione, accumuletur. Cesset igitur oro omnis querela, & susurri vena obstruatur. Licet enim proferam, quod in scripturis, Deo donante, videre mihi videor, nolo tamē putes, quod, vel vnum iota aduersum à fide, vel apicem vnum, sanctissimis Ecclesiæ doctoribus contrariando, chartæ huic inscribere, vel in angulis docere velim. Neque verò quisquam tam inops, puto, mentis, aut excors erit, qui continuo, vel à fidei regula alienum, vel veritati contrariū ducat, quod aut recenter in scripturis animaduersum, aut, à communi Doctorum opinione, nonnihil diuersum viderit. Imo, vt B. habet Gregorius, *in intellectu sacræ Scripturæ respui nō debet, quicquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim, inquit, ex vno auro, alij murenulas, alij annulos, alij dextralia, ad ornamentum faciunt; ita, ex vna scripturæ scientia, expositores, quiq; per innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia, ad decorem cœlestis sponsæ, proficiunt.* His accedit, quod & alibi dicit: *Vrgente mundi fine, superna scientia proficit, & largius, cum tempore, excrescit.* Et iterum paulo

Gregorius. Epist. 62.

Gregor. lib. 9. mora. cap. 8.

paulo post: *Quicquid in sanctæ Ecclesiæ initijs latuit, finis quotidie ostendit. Quia, quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus, largius aperitur.* Et B. Ambrosius dicit, *quod verborum cælestium, nulli magis, quàm nos, testes sumus, quos mũdi finis inuenit.* Non igitur miretur quisquam, si & nos, postremis hisce temporibus, quod ad quarundam attinet scripturarum intelligentiam, apertiorem veritatis notitiam ascribamus, quando iam & propinquius ad finẽ accedimus, & per quotidianam veri experientiam, quæ hactenus, ex parte, latuerunt, lucidius reuelari videmus. *Aliter videtur ciuitas*, sicut Abbas Ioachim dicit, *cum adhuc per distam longius distat; aliter cum venitur ad ianuam; aliter cum pergitur intus. Nos igitur*, inquit, *qui ad ianuã sumus, multa quidem loqui possumus, quæ aliquando ex toto, vel ex parte, latebant; sed non, sicut hij, qui erunt intus, & oculo ad oculum videbunt*: quod de nostris dictũ, quis neget, temporibus?

Gregor. Homil. 16. super Ezechielem.

Ambros. lib. 10. super Lucam cap. 21.

Abbas Ioachim in Apocal. par. 4. distinc. 7.

Ratio redditur cur á Luthero vltima Ecclesiæ ætas incæpisse dicatur. CAP. XV.

PORRO, si moueat quemquam, cur ab illo perfido homine, Luthero, qui voluntarium & professionis, & salutis suæ naufragiũ fecit, quintam Ecclesiæ ætatẽ inchoatam dixerim, is, duplici ratione, id ita factũ cognoscat.

Primò, quia duobus, aut tribus annis post, quando, duce Magellano, classis quinq; na-

uium, ab Imperatore Carolo quinto præparata, in alienum, &, tot iam sæculis incognitum orbem, penetrare cœpit, christiana fides, à nobis repudiata, hinc commigrare volens, in pectoribus ferarum ac barbararum gentium, prima religionis suæ fundaměta posuit. Sicut ergo, in mundi pueritia, Ecclesia Dei, sub Noe, à diluuio fuit saluata; in adolescentia, sub Moyse, ab Aegypto educta; in iuuentute sub Christo, & per Christum, à peccato redempta: sic & in senectute, sub Luthero, vbi hactenus fidelis extitit, varijs erroribus tradita; vbi infidelis fuerat, à diaboli iugo liberata.

Secundò, quia fabricator iste malorum peritissimus, maligno auscultans dæmoni, hoc ante secundum mundi, per ignem, interitum, opposita effecit via, quod iustus Noë, & vir in generationibus suis perfectus, Deo sic adhortante, ante priorem, facere iussus fuit. Legimus enim, in libro Genesios, quando decretum erat apud Deum, ob ingětem hominum malitiam, vniuersum delere mundum, quod Noë præceperit dicens: Fac tibi arcam de lignis leuigatis. Finis enim vniuersæ carnis, venit coram me: repleta est terra iniquitate, à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Hoc, si iuxta spiritū intelligere velis, quod dictum Noë, de fabricãda arca, fuit, quid erit aliud, quàm; Cógrega tibi Ecclesiam, de sanctis, & mortificatis hominibus, quos neque

Genes. 6.

carnis

carnis voluptatibus, velut inutilitibus ramis, diffluere, neque iniustis operibus, ceu duris infectos nodis esse cognoueris. Hoc præceptum Noë reipsa, forisq; cõpleuit, quãdo arcã sibi, de lignis leuigatis, & ad structuram, ex quadro idoneis, præparauit: spiritualiter vero, cum tres filios iustos, mortificatos, patriq; simillimos, vnà cum eorum matre, & singulorum vxoribus in arcam, velut in Ecclesiæ sanctam congregationem introduxit. An non disimili via, contrarium fecisse, in suam multorumq; pernitiẽ, videtur Lutherus? Cernens enim malignus spiritus, mundi, vniuersæque carnis finem instare, partim scripturis, partim coniecturis, partim etiam signis, ad hoc formidandum, persuasus, venit ad Martinum hostem Christianæ religioni, & fidei pestilentissimum, natumq; tali perfidiæ, obscurissimum tenebrionem. Quid autem dixit? Finis vniuersæ carnis, ex probabili suspicione, venit coram me, repleta est terra adhuc æquitate, pace, religione, vnitate, & ego eam per me, sine te, disipare non possum. Tu igitur inuade, perturba, subuerte, disperge arcam, hoc est, Catholicam Ecclesiam. Quid expectas? quid formidas? quid trepidas? An laboris te magnitudine, negotijque difficultate opprimendum existimas? Non ista, animum tuum, sollicitudo deijciat, non vincat formido. Ipse ego tibi sedulus opem feram. Aut si solus per te,

Lutherus alter Noe opposita via.

Depingitur diabolus loqui cum Luthero, quod non ex scriptis, sed factis eius colligitur.

te, primusq; glaciem istam perfregeris, soli tibi stabit immortalis gloria, & plena victoriæ palma. An adhuc te labor exterreat? an reuocet difficultas? Si vis metalli, aut ferri robur, aut lapidum inuicta durities, Arcam illã mihi exosam, vndique septam, tectamque circumuallaret, esset forsitan æquum, vt tua, frigidus, occupet præcordia, timor: At nũc, cùm ligna tantum sint, eaq; non viridia, non crescentia, non radicata; sed arida, præcisa, & leuigata, ex quibus ista Ecclesiæ moles fabricata, vix mutuis hæret compagibus, quid timidus aleã tentare moraris? Primates, Principes, Pastores, Sacerdotes, Monachi, omnes isti ligna præcisa, leuigata, arida: & quodammodo mortua sunt. Scriptũ est enim: Vidua quæ in delitijs est, viuẽs mortua est. Oẽs vidui sunt, quia superbia, & ambitione inflati, humilẽ Christi sui spõsam repudiarunt; oẽs mortui sunt, quia in delitijs viuunt. Si hæc, quæ cõscius ego malorum ipsorum dico, vera esse credis; quid, quod mihi tam gratum, tibi verò tam gloriosum futurum promitto, aggredi nõ festinas? Iam, respondit ille, festinabo, Video illis otiũ, & chartas abundare: dabo operam, vt negotium scribendi habeãt copiosum. Præcurram enim, vt; dum gloriosissimi, delicatissimique victores, de vno aliquo Hydræ meæ capite triumphauerint, ego aliunde fortiorem, interim admoueam, fidei muro arietem. Vidisses ibi

Arca Ecclesia est.

1. Thimo. 5.

Hosius li. cõtra Brent.

ibi tripudiare diabolum, & præ inuidiæ tabe alioqui ſemper triſtem, exultare. Protinus, ſecreto hæc prius ſecum murmurans ſic, ſic: MARTE NOVO, SCELERATE LVTHER, CRVCIABERIS ORCO, adiunxit: Confortare ergo fili, in nequitia tua, certa cruentum certamen, ſic curre, vt comprehendas: opus fac Antichriſti. Huiuſmodi verſutiarum, mendaciorumq; facibus, titio ille fumigans reaccēſus, ſubito, velut fulgur, in PETROSVM, licet, fortiſsimi LEONIS antrum, AQVILAEQVE ampliſsimum nidum, flammas maledictorum euomere, templorū perantiqua ædificia violare; ornamēta ſacra tollere; veterem religionem, fidemq; calumniari; ſacraq; cuncta prophanis miſcere cœpit. Et, vt ſummatim omnia dicam, pacificam Noë arcam, per vniuerſum diſsipans orbem, & incipiens à Saxonia vſq; huc, confortatus eſt in nequitia ſua, certamen cruentum certauit, rabidum curſum, rabidus conſummauit: opus fecit Antichriſti. Quid autem, de reliquo, illi ſupereſſe putamus? Verendum, verendum, ne nō huic omnium malorum capiti, perpetuis gehennæ ignibus, (âh miſerum) flammiſq; demerſo, augeātur, renouenturque ſua tormenta, quamdiu extra Catholicam eccleſiā pereunt, qui ipſius peſtifera documēta amplexati, & diſsidioſa caſtra ſunt ſecuti. Non enim aliquam pœnam definitam,

Literę numerales, in hoc verſu, annū indicant, quo Marti. primū incœpit.

nitam, ante, accepturus putatur (quod ipsemet Lutherus testatur August. de Arrio, scribere) quã eius error, quo vniuersum penè orbem cõtaminauit, finẽ acceperit. Si itaq; certũ est, ex scripturis sanctis, postquã iustus Noë arcam cõsummauit; Ecclesiã ad se collegit, omnisq; generis animalia, in arcę custodiã introduxit, quod subitò horrendũ illud, & cõmune orbis diluuiũ superuenerit, non possumus nõ formidare, quin supremus mundi dies, in quo terrificũ Christi tribunal reuelabitur, appropinquet, cùm iam hominem Apostatam, nequitiã suam cõsummasse, Ecclesiam dispersisse, omnisq; generis viros, ac mulieres, ad tot sectas dissectas, ad tot diuersas, de Catholica fide, opiniones, dissensiones, dubitationes, extra sacros Ecclesiæ, pacisq; Christianæ limites, vocasse, incitasse, pellexisse videmus.

Lutherus lib. de concilijs.

Lutheri prædicatio, quid effecerit in Ecclesia, & quales oporteat esse Christianos, ostenditur. CAP. XVI.

CVM igitur ex doctrina, & prædicatione Lutheri, tanta diuisio, tantaq; separatio sit subsecuta, *quantam nunc*, inquit Hosius, *in Ecclesia (prô dolor) videmus, cùm ex eo tot sectæ, tam dissectæ, sint prognatæ, cuius id alius, quàm diaboli consilio,* persuasione, imo & studio factum esse credemus? Omnis spiritus, ait Ioãnes, qui soluit Iesum, ex Deo nõ est, & hic est Antichristus. *Soluit aũt Iesum*, inquit August. *qui, vel Ecclesiam à capite*

Hosius. lib. 1. contra Brentium.

1. Ioan. 4.

August. tract. 6. super Ioan.

pite suo Christo, vel seipsum, ab Ecclesia, vel Ecclesiam in seipsa separat, ac diuidit. Addit insuper pulchrã, inter Christũ & Lutherum, collationẽ, Hosius. *Christus,* inquit, *propterea mori dignatus est, ut filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnũ; Lutherus propterea & scripsit, & fecit omnia, ut quos precioso sanguine suo Christus congregauerat, eos dispergeret. Deinde verò, mortis etiã suæ genere, Christus declarauit, quàm sibi displiceret omnis diuisio. Nam, neq; sicut Ioannes, mortem sustinuit, capitis truncatu; neque, sicut Esaias propheta, serra dissectus est, vt & in morte sine mutilatione corpus integrum seruaret, & causa subduceretur ijs, qui cupiunt Ecclesiã, in partes discindere. At Lutherus, per omne vitæ suæ tempus, nihil aliud maiore studio contendit, quàm, vt quod integrũ corpus Christi inter manus persecutorum in cruce permanserat, id inter manus Christianorũ, iam deinceps integrũ esse desineret. Itaq; quod non fecere tum impij milites, vt frãgerent corpus Christi, fecit hoc iste, speciem pietatis habẽs, virtutem autẽ eius abnegans: vt, in multas partes, diuideret totũ corpus Christi, vnã, sanctam, Catholicam, Apostolicã Ecclesiam.* Et erit adhuc qui dubitet studiũ illius, studiũ diaboli fuisse? *Cuius ita proprium est diuidere, lacerare, spargere, sicut Christi proprium, quæ dispersa sunt, cõgregare.* Huius aũt Christi typus fuit Noë, secundũ Eucheriũ, &; qui illũ præcessit, Origenẽ, cuius verba hæc sunt: *Sicut ergo tunc dictũ est ad illum Noë, vt faceret arcã, & introduceret in eam secũ, non solum filios & proximos suos, verum etiã diuersi generis animalia, ita etiam,* inquit, *ad nostrum Noë, qui vere solus iustus, solus perfectus est,* Domi-

Lib. 1. contra Brentium. Ioan. 11. Matth. 14. Lucæ 9. Lucæ 19. 2. Thimo. 3. Eucherius. Origenes Homil. 2. in Genesim.

Dominum Iesum Christum, in consummatione sæculorum dictum est à Patre, ut faceret sibi arcā, ex lignis quadratis, & mensuras ei daret cœlestibus sacramentis repletas. Quadratum verò est, quod nulla vacillat ex parte, sed quocunque verteris, fida & solida stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quæ omne pondus, vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt. Quos ego arbitror, inquit, doctores esse in Ecclesia, & magistros, ac æmulatores fidei, qui & populos intrinsecus positos, verbo cōmonitionis, & doctrinæ gratia consolantur, & impugnantibus extrinsecus, vel gentilibus, vel hæreticis; & quæstionum fluctus ac procellas certaminum commouētibus, virtute verbi, ac sapientia rationis obsistunt. Et, nonnullis interiectis, addit: Vidisti, quæ sint quadrata ligna, quæ velut murus quidam & defensio his, qui sunt intrinsecus, obstaculum autem & impugnatio his, qui extrinsecus superueniunt, collocantur ab spiritali Noë. Quæ ligna extrinsecus & intrinsecus bitumine liniuntur. Vult enim te architectus ecclesiæ Christus, non esse talem, quales sunt illi, qui deforis quidem parent hominibus iusti, deintus autem sunt sepulchra mortuorum. Sed vult te, & corpore sanctum esse extrinsecus, & corde intrinsecus purū: cautum vndique, & castitatis, atq; innocentiæ virtute munitum, hoc est, intus & foris bitumine esse oblitum. Rectè quidem ô Adamanti, & secundum Deum, veramq; salutis nostræ rationem philosopharis, sed si tu tuis, sicut nos nostris, cerneres oculis, lapides sanctuarij dispersos, in capite omniū platearum; si quadrata olim, & leuigata tunc, nunc autem læuia ligna, in rotundam & versatilem

Marginal notes: Quadratum lignum. (beside "tas. Quadratum verò est"); Matth. 23. (beside "illi, qui deforis"); Thren. 5. (beside "platearum")

ſatilem formam transformata videres, aut in triangularem illam, quam Ioannes, in concupiſcentia carnis, & oculorum, & in ſuperbia vitæ eſſe monſtrauit, nõ putamus, quin communem cunctis perditionis ruinam adeſſe diceres. Non diffitemur, adhuc plurimos eſſe doctores in Eccleſia, & magiſtros, & æmulatores fidei, qui & populos intrinſecus poſitos, verbo commonitionis, & doctrinæ gratia conſolantur; qui etiam, veluti murum, pro defenſione domus Dei & aduerſus aliorũ impietatem, obſtaculum ſeipſos cõſtituunt; impugnantibus vndique Lutheranis, Anabaptiſtis, Caluiniſtis, hæreticis, & quæſtionum fluctus, procellasq; certaminum commouentibus, virtute verbi, ac ſapientia rationis obſiſtentes. Sed vnum hoc extremo luctu deplorandum eſt, quod hoc æuo noſtro, aut nulla habetur ratio, aut exigua, de vitæ integritate, & probata morum cõuerſatione. Talem vult quemlibet noſtrûm Chriſtus, vt nõ ficta pietatis imagine, & quæ oculos hominum eludat, ſimulatione, aliter iuſtus foris appareat, quàm intus ſentit ſeipſum in corde. Vult nos ſinceros, irreprehẽſibiles, & corpore ſanctos eſſe extrinſecus, & corde intrinſecus puros; non ſuperbia inflatos, non infectos auaritia; non gulæ, non libidini, non huius mundi curis intentos. Cautos quoque, ne per cogitationum illecebras, carnisq; voluptates, à ti-

1. Ioan. 2.

Ezech. 13.

Quales velit nos Chriſtus.

more Dei abducti, in diaboli laqueum incidamus: & vndique castitatis, atque innocétiæ virtute præmunitos. Hoc Christi desiderium, hæc, de nostro profectu, ipsius expectatio est.

Christiani quid Christo rependant; & Lutheri studium quale fuerit. CAP. XVII.

Ierem. 2. SED quid iam de Ecclesiæ filijs, vt olim Synagogæ, dicit? Ego plantaui te, vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi, in prauum vinea aliena? Quid est, quod debui vltra facere vineæ
Esaiæ 5. meæ, & non feci ei? An, quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? Expectaui, vt faceret iudicium; & ecce iniquitas; & iustitiã,
2.Petr. 3. & ecce clamor. Quis verò clamor? Audi. Vbi est promissio Domini, aut aduentus eius? Et
Esaiæ 28. iterum in propheta: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans, cùm transierit, non veniet super nos; quia posuimus mendacium spem
Esaiæ 1. nostram, & mendatio protecti sumus. Hoc gens peccatrix dicit, populus graui iniquitate, semen nequam, filij scelerati, de quibus Dominus in persona Ecclesiæ conqueritur: filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt
Bernard. ser. 33. super Cãtica. me. *Spreuerunt*, inquit Bernardus, *& maculauerunt me, à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio;*
Psal. 90. *à negotio denique perambulante in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus adimpletionis aduenit. Ecce in*

pace amaritudo mea amarißima. Amara prius, in nece martyrum; amarior post, in conflictu hæreticorum; amarißima nunc, in moribus domesticorum. Non *fugare,* inquit, *non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum.* Intestina, *& insanabilis est plaga* Ecclesiæ *: & ideo in pace amaritudo eius amarißima.* Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à Geldris, pax à Gallis, pax ab Anglis; sed non est nunc pax à Paganis; nō à Turcis; non ab hæreticis : & minus profectò, ab Ecclesiæ filijs. Quod si tunc, Ecclesiæ amaritudo amarisima fuit, cùm ex vno tantum hostium genere, qui filij erant, affligeretur; quanto ergo grauioribus malis, nostra tempora obnoxia sunt, quàm quibus Bernard. ante annos quadringentos, & amplius vixit? Iam enim & Turcæ, & sectarij, & peruersi Christiani, Ecclesiæ pacem, vnanimi studio, impari licet voto, perturbant. Quid perturbant dico? imo inuertunt, si non penitus tollunt. Facilis tamen, contra primos, speraretur victoria, si secundi & tertij inter se disiderent. Sed, cùm nihil referat, vtrum quis, peruerso dogmate, an scelere, verbis an moribus, professioni Christianæ aduersetur, pro vno haberi debēt hoste, qui de vno participant crimine. Si quis suorum, ait Paulus, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, velut hæreticus, & est infideli deterior, qui necdum credidit. Ex vno ergo prodeunt ouo, qui ex vno

Esaiæ 38.

Est pax, & nō est pax.

Perturbatores pacis Ecclesiæ.

1. Thimo. 5.

patre diabolo ſunt, apoſtata hæreticus; ſchiſmaticus; paſtor gregis negligens ſui; paterq́; familias domeſticorum curam non habens. *Pater enim* (vt Zeno Veronenſis dicit) *omnium corruptè viuentium, diabolus deſignatur, Domino Iudæos ſic increpante: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Sed quænam hæc ipſius deſideria? Ipſe certè fur, ipſe latro, ipſe homicida, ipſe mendax, paterq́; mendacij eſt. Et fur non venit, niſi vt rapiat: nec latro, niſi vt mactet: nec homicida, niſi vt perdat: nec mēdax, niſi vt fallat: nec pater mendacij, niſi vt tales, qualis ipſe eſt, filios procreet, *non vtique carnis ſucceßione, ſed criminis*, inquit Ambroſius. Hæc ergo ipſius deſideria ſunt, vt, quos ſuis faſcinauit incantamentis, ſtrennuè & indifferenter rapiant, mactent, perdant, fallant & mentiantur. Cum itaque nemini non conſtat, Lutherum, cum ſuis aſſeclis, horum nihil prætermiſiſſe vnquam, ſed quęcunque potuit, rapuiſſe: corpora mactaſſe: animas perdidiſſe: homines fefelliſſe: ſpiritui ſancto mentitum eſſe, quis dubitabit ipſum Diaboli filium fuiſſe? Si autem filius, & hæres, ſed non per Deū, verùm per illam, quam in patre ſuo contemplatus, & imitatus eſt, impietatis imaginem. Dixerat enim non loquendo, ſed præſumendo Diabolus: Faciamus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, dominaturū ruſticis, ideotis, tyrānis; vt obſit Pontificibus, Sacer-

Zeno Veronē. lib. 2. ſerm. 9.

Ioan. 8.

Ioan. 10.

Ambroſ. li. 4. cap. 4. ſuper Lucam.

Lutherus filius diaboli.

Sacerdotibus, Monachis: & vnitatem diuidat in terra, tollat pacem, deprimat æquitatem, religionem extinguat. Quid autem mirum, si cacodæmon Lutherum, in hanc præsumptionis suæ sequelam, & nequitiæ imitationẽ abductum, transformare potuit, qui antea, per se, diabolus factus fuit? Nónne ego vos duodecim, inquit Christus, elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Diabolus tunc erat Iudas, non quòd, ex Christi electione, talis factus sit, sed quia propriæ voluntatis libertate, velùt diabolus olim, seipsum perpetuæ damnationi obnoxium fecit. Huc magnam ei ansam dedit iniquissimum illud murmur, quod ex vnguẽti effusione, in domo Symonis auditum fuit. Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Vt quid perditio hæc? Dixit autem hoc, inquit Ioannes, nõ quia, de egenis, pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Vides ne, ex murmure, ex furto, ex rapina, non tam diaboli filiũ Iudam, quàm ipsum fuisse Diabolum? Quid verò minus de Luddero sentire, vel præsentium rerum calamitas, vel præuiorum malorum rumor permittit? Nónne & ipse, in nauicula Symonis, gratiosum indulgentiarum vnguẽtum, super infirma Christi membra effusum, calumniando, grauissimi procellas murmuris excitauit? Audisses tunc, non oblatrantem, sed quasi to-

Ioan. 6.

Iudas diabolus.

Ioan. 12.

Occasio defectionis Lutheri.

nitruantem ipſum : Ad quid perditio collectionis eleemoſynarum iſtarum? ad quid hæc peccatorum remiſsio, quæ nõ modo ſecuros, ſed & deteriores homines facit? Quorſum ſeductio populi? & turpiſsima meritorum paſſionis Chriſti extenuatio? Quando ſpes lucri, ex furto & rapina faciendi, adempta illi fuit, & honoris prærogatiua ad Dominicanos delata, per Reuerẽdiſſ. Albertum Moguntinum, quam ſibi, ſuisq; hæremitanus ille, & ſcientię, & nominis gratia, obuenturam ſperauerat. DEVS BONE, quanti fluctus, turbines, tẽpeſtates; quantæ flammæ, faces, ignes ſubſequantur. Potuiſſet forſitan, niſi hoc ipſum, quod nõ iniuſtè patimur, noſtra peccata promeruiſſent, prima errorum omnium ſcintilla, exiguo ſuffocari profluuio, ſed dum longius ſerpens, vento inanis gloriæ impulſa, hinc inde vires colligere cœpit, nec tempeſtiuè inhibita fuit, in tantum exarſit malorum incendium, vt non minoris difficultatis ſit, hoc extinguere, quàm Oceanum exhaurire. Eſt tamen non mediocris, apud multos, reformandæ Chriſtianæ reipublicæ fiducia, in illo celeberrimo Patrũ, ac Epiſcoporũ Cõcilio, quod Tridenti iã altera vice; langués Eccleſia effœto parturit vtero, ſed quod inanis iſta fiducia erit, & ſterilis expectatio, niſi quiſq; noſtrum, per ſe, ſuam prius vitam, moresque priuatos reformauerit, & illam, quæ Chriſti & Apoſtolorum

Prima errorũ ſcintilla exiguo potuiſſet, ſuffocari profluuio.

ſorum exemplo, quaſi compendio quodam, ad ſalutem ducit viam, ingreſſus fuerit, quis eſt, quæſo, niſi fortè Bartimæus quiſquam, iuxta viam ſedens, qui non videat? Quin etiam, ſi quam maxime id, ac diligentiſsime curetur ab ijs, per cunctas mundi partes agentibus, ex quorum pluſquam profano ſtudiorum cõmercio, & vita non ſatis officio reſpondente, reliqua hominum turba, ſecuriori inuoluitur, per omne nefas, naufragio, vniuerſam nihilominus, reformationis Eccleſiæ ſpem tollit B. Apoſtolus, qui ſpiritum, nimirum ſanctum, manifeſte dixiſſe ſcribit Timoth. quod in nouiſsimis temporibus diſcederent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum: in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam con ſcientiam. Quanquam enim plerique veterũ, hîc Paulum locutum exiſtiment, de Marcioniſtis, Patratianis, aut maximè Manichæis, vt Ambroſius putat & Auguſtinus, vel etiam, de alijs eius generis, & tempeſtatis, hæreticis, qui, ex vicino, Apoſtolorum ætatem ſubſecuti ſunt, non tamen excluditur quorundã neotericorum opinio, qui hanc propheticã Apoſtoli denunciationem, etiam ad illos hæreticos referunt, qui, fine mundi proximo, ſimpliciores quoſque, à fide iam olim imbibita, in errores varios, & turpiſsima mendacia abducerent. Sic D. Carthuſianus, ſic Lyra, ſic & D.Tho-

Marc. 10.
1. Thimo. 4.
Ambroſius.
Auguſtinus.
D. Carthuſia.
Lyra.

Thomas. D. Thomas ſentit. Quorum opinionem, iam ipſe rerum probat euentus, quo vel inuiti cogimur, non ſine dolore, experiri, quantus eorum ſit numerus, qui à fidei portu, ab annis hinc, plus minus quadraginta tribus, naufragati ſunt.

Probatur Iudicium inſtare, tum Apoſtoli ad Theſſalo. dicto, tum Hieroſol. Archiep. Cyrilli teſtimonio.

CAP. XVIII.

QVAPROPTER non video, cur amplius dubitare debeamus, quin iam illa fiat 2.Theſſal.2. diſſeſsio, quam, Theſſalonicenſibus ſcribens Paulus, Antichriſti aduentum præceſſuram, monſtrauit: Ne quis vos ſeducat, inquit, vllo modo, quoniam niſi venerit diſceſsio primũ, & reuelatus fuerit hòmo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendẽs ſe, tanquam ſit Deus, non inſtabit (vult dicere Apoſtolus) dies Domini. Nihil enim refert, ſiue per hanc diſceſsionem, intelligas defectionem à Chriſtiana fide, ſiue à Romani Pontificis obedientia. Nam, vt vtrunque futurum creditum fuit, & intellectum ab ijs, partim Græcis, partim Latinis, qui, in hunc Apoſtoli locum commẽtati ſunt, ſic nos, qui modo viuimus, neutrum præſenti tempori deeſſe videmus. Imo ſic alterum alteri, diaboli arte, coniunctum eſt, vt nullus

nullus, hodierno die, fiat hæreticus, vel apostata, qui non continuò sanctè iuret in odium Romanæ Ecclesiæ, contemptumq; Pontificis. Hunc in errorem, magna Germaniæ pars, & Angliæ, & Scotiæ, & Galliæ est seducta. Vt interim de alijs Frisiæ, Zelandiæ, Flandriæ, Brabantiæ, & Hollandiæ prouincijs taceam. Huc & alia quædam, defectionis huius intelligentia accedit, cuius, Hierosolymorũ Archiepiscopus Cyrillus, super prædicta Apostoli verba, meminit: *Antea quidẽ, inquit, erãt aperti hæretici; nunc aũt occultis hæreticis Ecclesia repletur. Defecerũt homines à veritate, & pruriunt auribus: sermo persuasibilis, & oẽs incũdè audiunt: sermo cõuersionis, & oẽs auertuntur. Defecerũt plurimi à bonis operibus; & videri potius, quàm esse boni malũt. Hæc est igitur defectio, & expectandus est ille inimicus; & iã, aliqua ex parte, cœpit præmittere suos præcursores, vt paratus deinde veniat ad venationẽ. Caue itaq; tibi o homo, & cõfirma animã tuam. Testatur tibi Ecclesia, in conspectu Dei viuentis; prædicit tibi, de Antichristo, quæ futura sunt, priusquam veniat. Nec scimus si, nostro tempore, id fiet; sed bonum est tamẽ, vt hæc scientes nos præmuniamus.* Hæc ille: Cum itaque tam multiplicem nos simul defectionem videamus, à fide, à religione, à Romano Præsule, à veritate, à bonis operibus, vt deinceps nulla defectio, quam magis formidemus, supersit, quid adhuc, quasi procul absit homo peccati, filius perditionis Antichristus, dubitamus? quid ita securè, toto mundo peri-

Cyrillus Cathe. 15.

Antichristus cœpit præmittere suos pręcursores.

Multiplex defectio nũc videtur.

riclitante, in vtramque aurem dormimus? Si ante annos mille trecentos, quibus Cyrillus vixit, expectandus erat ille inimicus, qui iam tunc, aliqua ex parte, cœperat præmittere suos præcursores, quid nunc minus, quàm quasi adesse, aut iam iam venturum existimabimus? Tanta præcursorum eius multitudo, huc illucq; discurrit, properat, volat, vt per illum, quem non pedibus, sed cædibus sanguinarium vbique tumultum, strepitumq; excitant, non modò integra regna concuti, sed vniuersus insuper orbis trepidare, & ad ruinam nutare videatur. Et erit adhuc, qui non sibi cauere, nec animam suam, ad instãtia pericula, obfirmare curabit? Hos ille præmittit, ceu venator, ministros, errorum vndique & impietatis tendicula collocaturos, vt ipse paratus deinde, & constipatus ferocibus canibus, ad venationem veniat. Sed quæris forsan, quænam hæc ipsorum tendicula sunt? Scandala scilicet, mutua dissidia, fraterna odia, regum bella, rusticorum homicidia, schismata superborum, hæreses perfidorum, dissensiones ciuium, cõtentiones vicinorum, rixæ domesticorum, & alia similia mala, qualia etiam Beatiss. martyr Hippolytus, in extremis futura temporibus, præsignificauit. Omnes, inquit, *suo arbitratu viuent: filij manus iniicient in parẽtes; vxor virum suum tradet in mortem, vir vxorẽ suam, vt ream, trahet in iudicium: domini in seruos suos erunt inhumani; serui*

Multitudo præcursorum Antichristi.

Tẽdicula ministrorũ Antichristi.

Hyppolytus orati. de consummatio. mundi.

serui in dominos, animum gerent inobedientem: senis canitiem nemo reuerebitur; iuuenilis formæ nemo miserebitur; templa diuina, domorum instar, erunt; locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum. Post hæc, stupra, adulteria, periuria, incantationes, diuinationes, magno impetu, studioq; sequentur. Hæc valdè consona sunt ijs, quæ à Christo prædicta sunt: Tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum. Et rursum: Veruntamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? Et iterum apud Mathæum: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Huius autem iniquitatis varias species explicat latius B. Paulus Apostolus, scribens ad Timotheum: Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinētes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs,

Matth. 10. Lucæ 18. Matth. 24. 2. Thimo. 3.

derijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Super quę verba, ſic dicit Cyprian. *Adimplentur, quæcunque prædicta ſunt, & appropinquante iam ſæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt: & magis ac magis, aduerſario veniente, error fallit, extollit ſtupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, ſuperbia inflat, diſcordia exaſperat, ira præcipitat.* Et paulo antè: *Quam vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit, aut cogitat, qui diſcordiæ furore inſanus, Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſsipat, ſacramentum profanat? Malum hoc fideliſsimi fratres, iampridem cœperat, ſed nunc creuit eiuſdem mali infeſta clades, & ſurgere & pullulare plus cœpit, hæreticæ peruerſitatis, & ſchiſmatum venenata pernities: quia & ſic, in occaſum mundi, oportebat.* Hæc ergo vitia, non in infidelibus, ſed in peruerſis Chriſtianis, in fictis religioſis, in obcæcatis hæreticis futura prænunciantur. Quos enim ſuis caſtris aſcriptos, ſuisq; deuinctos legibus tenet infernalis hoſtis, non moleſtus perſequitur, nec nouis oppugnat inſultibus; ne, ſi amplius infeſtet prædam, iterum eam perdat. Ergo illis ſolis, huiuſmodi vitiorum retia tenduntur, qui Chriſtiano adhuc ſignantur nomine, de quibus etiam Apoſtolus ſcribebat, dicens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Vtq; ſciremus cupiditatem

Cyprian. De ſimplic. prælatorum.

Ibidem. Audi hæretice.

1.Thimo.6.

ditatem diuitiarum, talem esse laqueum, quo etiam sic homines, vt hæretici fieri possint, intricantur, statim subiunxit. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. *Quia plerunque hæretici*, inquit Gregorius, *sola, in verbis suis, exteriora lucra sectantur; nec ignorant, quia peruersa astruunt, sed erroris prædicamenta non deserunt, dum sumptus percipere, quasi Doctorum volunt*. *Vides ergo*, ait Ambrosius, *quia, qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit? Auaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit*. Tali procul dubio cupiditatis diuitiarum laqueo, & violatæ religionis errore irretitus fuit, architectus hæreticorum, Lutherus, qui, cum lucri damnum fecisset, etiam fidei ac professionis facere veritus non fuit. Hunc, multi alij post secuti Zwinglius, Rotmannus, Muntzerus, Carolstadius, Oecolampadius, Caluinus, cupiditatis eius & erroris socij facti, errauerunt etiam à fide, cadentes ipsi in laqueum diaboli & alios quá plurimos cadere facientes. Ita vt iam non secus, in omni vitiorum genere, Antichristo vẽturo viam præparauerint, ad incautos facilè seducendos, quam prophetæ, & Ioannes Baptista, docendo pœnitẽtiam, Domino nostro Iesu Christo. Sicuti ergo Deus Pater, per Noe, qui arcam fecit, Christum suum præfigurauit, qui postmodum Ecclesiam colligeret, sic

Radix malorum omniũ cupiditas.

Gregor. li. 20. mora. cap. 10.

Ambrosius serm. 59.

Auaritia cæcitas est.

Hæretici nostri temporis viam præparauerunt Antichristo.

Noe figura Christi, Lutherus Antichristi.

quoque diabolus, omnium corrupte viuentium pater, per Lutherum ecclesiæ pacem disturbantem Antichristum præsignificauit, qui in fine temporum, quibus nos viuimus, venturus est, reliquamq; fidelium vnitatem dissipaturus. De hoc sic Bernardus scribit: *Superest, vt iam de medio fiat dæmonium meridianum, ad seducendos, si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate sua. Siquidem absorbuit fluuios sapientium, & torrentes potentium; & habet fiduciam, vt Iordanis influat in os eius, id est, simplices & humiles, qui sunt in Ecclesia. Ipse enim,* inquit, *est Antichristus, qui se nō solum diem, sed & meridiē mentietur.* Caueamus itaque nobis, vt Cyrillus præmonuit, & confirmemus animam nostram, quia nescimus si nostro tempore id fiet; sed bonum est tamen, vt hæc, de Antichristo, quæ futura sunt, audientes & credentes, nos præmuniamus. Illum terrebant bella gentium: terrebant schismata Ecclesiarum: terrebat odium fraternum, vt quasi mox venturum Antichristum existimaret; sed cum Cyrilli sæculum hisce temporibus comparatum, aureum omnino, & velut diuinum fuisse videatur, quid nos minus, quàm, quod fortasse, nostra adhuc ætate, homo peccati reuelandus sit, debemus formidare?

Bernard. ser. 33. super Cātica.

Iob 40.

Cyrillus. Cathe. 15.

2. Thessa. 2.

Confirma-

Confirmatio prædictorum sumitur, ab authoritate Paulinæ sententiæ, & à mirabili quadam humanarum rerum mutatione. CAP. XIX.

AD hoc ſanè confirmandum, plurimum facit authoritas ſententiæ illius, quam B. Paulus ad Hebræos habet, vbi quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſſe dicit. Hebr. 12. Quia quanto quid magis à principio ſuo elõgatur, tanto plus deficit & langueſcit. Quod autem iam mundus antiquatus ſit, & ſenuerit, eamq; ob cauſam, ad interitum ruinoſus acceleret, nõ ſolùm mutatus rerum omnium ordo oſtendit, verumetiam temporum, quæ in humana vita ſunt, decurſus. Mundus antiquatus. Nam ſatis compertum eſt, prolixitatem vitæ hominũ, quam infantia mundi, pueritiaq; vidit, quæq; in primæuis Patribus fuit, intantum nunc decreuiſſe, & in illam contractam eſſe breuitatem, vt quatuordecim huius ſæculi homines, licet omnes ſeptuagenarij fuerint, non, niſi in vndecim annis, ætatem vnius Mathuſalem ſupergrediantur. Prolixitas vitæ humanæ decreuit. Geneſ. 5. Hanc autem ætatis humanæ diminutionem ideo factam putat Ambroſius, quod peccatum creſcebat longæuitate vitæ. Ait enim: *Propter peccata hominum, breuiores dies, vitæ iſtius fecit Deus, quæ ante & nongentis, & ſeptingentis annis extendebatur; vt nunc intra centum annorum curricula claudatur.* Ambroſius in Pſal. 38. Hoc ipſum & ſcriptor Pſal. 89. ſenſiſſe videtur, cum dixit: Quoniam omnes dies noſtri defecerũt, & in ira tua defecimus: Pſal. 89.

Vbi

Vbi breuitatem vitæ humanæ dicit per iram Domini prouenisse (vt Casſiodorus habet) *quoniam, longioris vitæ præſumptione, homines tunc peccabant.* Cæterùm quamuis Dauid, ſi tamen ipſe, & non Moyſes, vt quidam volunt, author iſtius Pſalmi eſt, ſuo tempore ſeptuaginta annos ætatem vnius hominis fuiſſe dicat, aut ad ſummum octoginta, nos tamen experientia quotidiana diſcimus, quod, ob debilem naturarum cõſtitutionem, quæ aut ex peccato prouenit, aut ætatis defectu, paucisſimi hoc tempore pertingant ad ſeptuaginta annos; & multo pauciores ad octoginta. Quotum enim quemq; inuenias, qui non in virili ætate, aut etiam citius, longe ante annos ſenectutis, inopino mortis acceſſu, neſcius præoccupetur? Quod putas infantium myriades diſcedere quotidie, qui diutius in vtero, quàm in mundo vixerunt? Quot rurſum, quibus naſcēdi difficultas lucem negat, vitam adimit, gratiam non communicat? Sint plures, qui anguſtijs materni vteri, ac doloribus partus ſuperatis, naufragiū vitæ euadunt, lucemq; participant, vix tamen centeſimus quiſque creditur, ad expectatum iuuentutis florem pertingere, vel non, ante decrepitam ſenectam, commigrare. Fruſtra igitur multos adhuc annos nobis pollicemur, quādoquidem id in hominum vita videre poſſumus, quod ſentire de fine mundi, & de communi rerum occaſu, formidare debeamus. Quin

Casſiodorus.

Paucisſimi nunc pertingunt ad annos ſeptuaginta.

Argumentū, vnde mundi finem inſtare colligimus.

Quin etiam, quod Cyprianus suo tempore scripsit, *canos videmus in pueris; capilli deficiunt, antequam crescant: nec ætas in senectutem desinit, sed incipit à senectute: sic in ortu adhuc suo, ad finem natiuitas properat: sic quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat, singula in mũdo cœpisse deficere, cum totus ipse iam mundus, in senectute sit & in fine.* Defecit, ait Ambrosius, *multitudine generationis: hoc sæculum, tanquam vulua generantis, & tanquam senescens creatura, robur iuuentutis suæ, velut marcescente iam virium suarum vigore, deponit.* Clarius hoc ipsum dicit B. Gregorius adhibita comparatione, ab humano corpore, sumpta: *Sicut enim,* inquit, *in iuuentute viget corpus; forte & incolume manet pectus; torosa ceruix, plena sunt brachia; in annis autem senilibus statura curuatur: ceruix exiccata deponitur; frequentibus suspiriis pectus vrgetur: virtus deficit: loquentis verba anhelitus intercidit: nam etsi languor desit, plerumque senibus, ipsa sua salus, ægritudo est: ita mundus in annis prioribus, velut in iuuentute viguit; ad propagandam humani generis prolem robustus fuit; salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc,* inquit, *ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem, molestiis crebrescentibus, crebrius vrgetur.* In eundem sensum tendũt & verba Origenis: *Sicut,* inquit, *ægrotant corpora, ante mortem eorum, qui vim non extrinsecus patiuntur: & quemadmodum in omnibus per infirmitatem fit via, ad separandã animam à corpore suo, sic talis ac tanta creatura mundi, cum corrumpi cœperit, quasi initium habens & finem, ne-*

Cypria. tract. 1. contra Demetria.

Ambros. lib. de bono mortis cap. 10.

Gregor. Homil. 1. super Euangelia.

Origenes tracta 28. super Matthæum.

cesse est, ante corruptionem, vt langueat: vt terra quidem frequentius terræmotibus conquassetur; aër autẽ vim quandam mortiferam concipiens pestilens fiat. His igitur accidentibus, consequens est, vt mobilis natura, quasi totius mundi pars aliqua constituta, compatiatur vniuersarum rerum mutationi, vt puta consueta nutrimenta non resumens, veniat ad defectum, & corrumpatur. Ergo, secundum Ambrosium, *quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Aegritudo mundi*, inquit, *est fames, ægritudo mundi est pestilentia; ægritudo mundi est persecutio.* Languet itaque nunc mundus, si non agonizat, & per corruptionem rerum infimarũ, hominumq; peccata, quasi ad vicinam mortem desperatus vrgetur. Non igitur omnino malè sensisset atheos ille Demetrianus, omnia ista incõmoda, christianis ex parte esse imputanda, quibus, tunc temporis, quo Cyprianus viuebat, mundus quatiebatur, nisi non ob contemptam vnius veri Dei religionem, sed, ob Deorum suorum neglectum cultum, hæc ita fieri existimasset. Sed videamus, quàm diserte contra ipsum, & secundum veri rationem, sanctissimus ille scripserit Cyprianus, qui partim peccata hominum, partim etiam ipsam mundi senescentis defectionem, causam cunctorum malorum fuisse, quibus tunc orbis vexabatur, ostẽdit. Eius verba hæc sunt. *Illud primo in loco scire debes, senuisse iam mundum: non illis viribus stare, quibus prius steterat; nec vigore & robore eo valere, quo antea*

Ambros. in ca. 21. in Lucam.

Cyprian. tracta. 1. ad Demetria.

Mundus senuit.

antea præualebat. Hoc etiam, *nobis tacentibus, & nulla de scripturis sanctis, prædicationibusq́; diuinis documenta promentibus, mundus ipse iam loquitur, & occasum sui, rerum labentium probatione testatur: non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est, nec sic, verna de temperie, sata læta sunt; nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ; minus argenti & auri opes suggerunt exhausta iam metalla, & pauperes venæ. Breuiatur in dies singulos, & decrescit, ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putásne tu, tantam posse substantiam rei senescentis existere, quanta prius potuit nouella adhuc & vegeta iuuenta pollere? Minuatur necesse est, quicquid, fine iam proximo in occidua, & in extrema deuergit. Sic sol, in occasu suo, radios minus claro & igneo splendore iaculatur. Sic declinante iam cursu exoletis cornibus luna tenuatur: & arbor, quæ fuerat antè viridis & fertilis, arescentibus ramis, fit postmodum sterili senectute deformis. Et fons, qui exundantibus prius venis, largiter profluebat, senectute deficiens, vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, vt, omnia orta occidant, & aucta senescant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur, vt cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur.*
Et pauculis interiectis addit: *Quod autem crebrius bella continuant; quod sterilitas & fames sollicitudinem cumulant, quod sæuientibus morbis valetudo frangitur,*

gitur, quod humanum genus, luis populatione, vastatur; & hoc scias satis esse prædictum, in nouißimis temporibus multiplicari mala, & aduersa variari, & appropinquante iam iudicij die, magis ac magis plagas, in generis humani censuram, Dei indignantis accendi. Indignatur ecce Dominus & irascitur, & quod ad Deum non conuertamini, comminatur: & tu miraris, aut quereris in hac obstinatione & contemptu vestro, si rara desuper pluuia descendat, si terra situ pulueris squaleat, si vix ieiunas, & pallidas herbas, sterilis gleba producat; si vineam debilitet grando cadens; si oleam detruncet turbo subuertens; si fontem siccitas statuat: aërem pestilens aura corrumpat; homines morbida valetudo consumat; cum omnia ista, peccatis prouocantibus, veniāt, & plus exacerbetur Deus, quādo nihil talia & tanta proficiant. Fieri enim ista, vel ad disciplinam cōtumaciu̅m, vel pœnam malorū, declarat in scripturis sanctis idem Deus dicens: Sine causa percußi filios vestros, disciplinam non exceperunt. Et propheta deuotus ac dicatus Deo ad hæc eadem respondet, & dicit: Verberasti eos, nec doluerunt: flagellasti eos, nec voluerunt credere, nec accipere disciplinam. Ecce irrogantur diuinitus plagæ, & nullus Dei metus est. Ecce verbera desuper & flagella nō desunt, & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis vel ista censura, quanto adhuc maior, in omnibus, esset audacia facinorum, impunitate secura. Hactenus ille.

Ibidem paulo post.

Ihere. 2. & 5.

Nos verò præter ea, quæ à Cypriano, ante annos mille ducentos, & audita, & visa, & credita sunt, etiam illud amplius experimur, quo mundi occasum, non procul abesse

esse conijcimus; quod in humanis corporibus consuetum robur, vel ad pœnitentiam agendum, vel ad laborandum, vel ad generandum deesse reperiatur: & in paruulis, abhinc annis aliquot procreatis, solitus dētium numerus. Constat enim illos, qui supra annos viginti prodierunt in lucem, non pauciores habuisse dentes, quàm triginta duos, cum iam in eis, qui infra decennium nati sunt, non nisi viginti, aut viginti quatuor inueniantur. Cani in pueris, tempore Cypriani, visi sunt; & capilli deficiebant, priusquam creuissent, nos infantes propemodum edentulos cernimus, & illos non tam mutationē dentium priorum expectare, quàm priuationem & extirpationem omnium, in ortu adhuc suo perhorrescere. Hoc magnum defectionis humanæ, & imbecillitatis nostræ indiciū est; & licet vnicum naturæ testimonium, consentaneum tamen & rerum ordini & rationi, quo, quod finis omnium, non ita procul absit, præmoneamur. Cum enim, propter hominem, vniuersa hæc inferiora, & visibilia condiderit Deus, quæ vel mutationi vel corruptioni obnoxia, sunt; quis non sciat omnia simul, cum ipso deficiente, deficere debere, cuius causa primum, & nomine condita sunt? *Patresfamilias*, inquit Chrysostomus, *moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit: & conscissis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis:*

Numerus dentium diminutus.

Chrysostom. Homil. 49. in opere imperfecto.

ſic & humano genere, propter quod omnia fuerant creata, circa exitum conſtituto, totus contriſtatur mundus; vniuerſa cæli miniſteria lugent, & candóre depoſito, pro veſtibus luctuoſis, tenebris veſtiuntur. Hinc eſt, vt quodcunque nunc naſcitur, hominis ipſius defectione degeneret, ſic, vt nemo mirari debeat ſingula in mundo cœpiſſe deficere, cum ipſe iam homo, in defectione ſit & in fine. Cuncta itaque patiuntur ſui defectum, & præproperum interitum, naturarum quarumlibet ſubſtantiæ meditantur. Sed quod humanorum corporum decedit conditionibus, hoc ingenijs accedit; quod de membrorum robore perit, hoc accumulatur intellectus acumine & mentis ſagacitate. Intantum enim creſcit nunc pueritia, non in liberalibus, ſed diabolicis artibus: non in ſtudijs literarum, ſed voluptatum curis; in nouarum ſuperbarumq; rerum inuentionibus; in ædificando, in negotiãdo, remq; domeſticam quouis iure, & quauis iniuria augmentando, vt præteritis temporibus, homines alioqui perſpicaciſsimi, omnino nihil nos præſentibus ſimul omnia excogitaſſe videamur. Adde incredibilem quandam, vagamq; in omni ætate, & ſexu, de verbo Dei, de ſcripturis, de Sacramentis, de fide, de meritis non tam diſputandi, quam errandi libidinem. Denique capaciora ſunt ſeptennium, aut octennium paruulorum ingenia, ad quiduis vel diſcendum

Quod corporibus decedit, hoc nunc accedit ingenijs.

vel retinendum, quam ipsa fert, tenellæ ætatis infirmitas. Imo tanta eorum industria est & vafricies, vt etiam grãdæuis aut senibus, confusionis iniuriam irrogare viderentur, si non illa præcox ingenij dos, potius diuinæ gratiæ sic operantis, quàm deficiẽtis naturæ esse credatur, & ad finẽ vergentis mortalitatis. Quid multa? Cum corpus ipsum humanum, magis ac magis in dies debilitetur, & cum eo simul cuncta, quæ in illius vsum, commodũ, & honorem condita sunt, quasi ad destinatum interitum festinare videantur, & solus ingenij vigor, candorq; intelligentiæ, velut speculum quoddam limpidissimum, diuinam in nobis repræsentans imaginem, florere magis ac crescere, & dilatari incipiat, quid aliud inde colligere, & pro veri ratione excogitare debemus? quam tempus illud appropinquare quo mortale hoc induet immortalitatem? quo, deposita carnis sarcina, gloriosum Ecclesiæ corpus glorificanti suo Capiti copulabitur: quo collectio iustorum omnium, plena meritorum virtutumq; decore, ceu sponsa delitijs affluens, Christo suo sponso, perenni & amoris & visionis consuetudine, perfruetur? Cogor hic, cogor inquam in consolationem Catholicorum & fidelium omnium exclamare, & quod sanctissimus martyr Cyprianus Christi militibus scripsit, sub legẽtium oculos ponere. O *dies ille, qualis & quantus adueniet fratres dilectissimi,*

1. Corint. 15.

Cantico. 8.

Cyprian. li. 4. epist. Epist. 6. in fine.

lectißimi, cum cœperit dominus populum suum recensere, & diuinæ cognitionis examine, singulorũ merita recognoscere; mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare: nobis verò mercedem fidei, & deuotionis exoluere. Quam rei remanebunt, & miseri, qui Dei desertores, aut contra Deũ rebelles voluntatem fecerunt diaboli: vt eos necesse sit, cum ipso simul, inextinguibili igne torqueri? Si hæc cogitantibus ac meditãtibus nobis superuenerint persecutionis dies, miles Christi præceptis eius & monitis eruditus, non expauescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam. Infœlix interim ego homo, quis me liberabit, de corpore mortis huius, vt securus ad corpus vitæ transire queam? quis me, contra sæculi cadentis pericula, defendet? quis de ruinis eripiet? quis immunem faciet ab ærumnis? Heu mihi, quia incolatus meus, non tam prolongatus quàm obscuratus est: habitaui, & erraui cum habitãtibus Cedar, multum peccatis obtenebrata fuit anima mea. Veruntamen, sicut passer, iterum erepta est, de laqueo venantium: laqueus contritus est, sed necdum de corpore mortis huius, liberati sumus. Quis dabit mihi pennas, inquit iustus ille, & volabo & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Sed quoniam nec ibi, plenam mentis securitatem inuenit, inquirit alibi dicens: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Hoc ad iustorũ, non ad peccatorum spectat desiderium, qui cum

Roma. 7. Psal. 119. Psal. 123. Psal. 54. Psal. 41.

Paulo

Paulo desiderium habent dissolui, & esse cum Christo; quorum cõuersatio in cælis est, quibus viuere Christus est, & mori lucrum, qui terrena nec sapiunt, nec quærunt, sed, vel si habent, expendunt, vel si non habent, contemnunt, arbitrantes omnia detrimentum & stercora, vt Christum lucrifaciant. Cæterùm mihi, qui peccator sum, orare conuenit Dominum & dicere: Dele iniquitatem meam; Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris: Ne reuoces me, in dimidio dierum meorũ, ne vadam ad portas inferi; sed vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me; Donec annunciem omnes prędicationes tuas in portis filiæ Sion. Te teste, te duce, te impulsore, domine Iesu, annuncio, licet segnis, tuas prædicationes in Ecclesia filiarum Sion, vbi perquã iucundè, à fidei ac religionis tuæ sororibus habitatur in vnum. Quoniam illic mandasti benedictionem, & vitam vsque in sæculum. Sed, heu heu, mundo labenti compati cogimur, quia vnguentum ibi, non solum in ora vestimenti Aaron, sed etiam in barba eius defecit: rorem mons

Philip. 3. Philip. 1. Psal. 50. Psal. 24. Psal. 101. Esaiæ 38. Psal. 70. Psal. 132.

Psal. 147. Hermon nullum habet, ſed horrorem, & tenebroſam nebulam, ſicut cinerem, vndique ſpargit. Tu autem, Domine Deus exercituum, conſummationem & abbreuiationem facturus, in medio omnis terræ, mittis Criſtallum tuam, ſicut buccellas, ante faciem frigoris tui. Vt quid, Domine, ſic facere voluiſti? Criſtallus iſta, opinor, noſtra eſt intelligentia: mirabilium operũ Dei notitia, ſcientia myſteriorum. Hanc, in omnem ætatem, nunc infundit Deus, & veluti mater, tam paruulis quàm grandæuis, præmãſas panis buccellas, in os immittit; ſic vt nullius ætatis ordo, aut ſexus neglectus videatur, cui non redundans ingenij vis, & diuinæ intelligentiæ lumen, ad cœleſtis regni bona prælibanda, & ſacramentorum capeſcenda myſteria præſto ſit. Sed quorſum tanta, diuinæ largitatis munificentia? quorſum iſta ordinis & naturæ mutatio? vt puer ſeni: fœmina viro; mechanicus operator literarum experto, in communi rerum notitia, parum aut nihil cedere videatur? Vix neceſſe erit, ſi prolixa adhuc ſuperfuerint tempora, vt vir doceat proximnm ſuum, & vir fratrem ſuum, aut maritus vxorem, vel nutrix alumnum dicens: Cognoſce Dominum: Omnes enim cognoſcent eum, à minimo eorum vſque ad maximum. Quid? an forte habitabit

Margin notes: Eſaiæ 10. & 28. — Pſal. 147. — Ihere. 31. — Eſaiæ 11.

iterum lupus cum agno? & pardus cum hœdo accubabit? An vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos? An delectabitur infans ab vbere, super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet? Certè clamat propheta in persona Dei in eodẽ loco & dicit: Repleta est terra scientia Domini, Esaiæ 11.
sicut aqua maris operientis. Sed quid sibi vult talis ac tanta capacitatis humanæ, in minorennibus maturitas? quid tam plena infirmæ ætatis scientia? quid tanta diuinæ gratiæ prærogatiua? Conabor hoc paucis ostendere, sed, an attingam, nescio. Benignissimus animarum nostrarum conditor redemptorque Dominus Deus, qui omnes vult homines sal- 1. Thimo. 2.
uos fieri, decernens iam rebus vniuersis imponere finem, præsciensq; quantis astutijs & fallacijs, malignus ille dæmon homines sibi deuinctos implicare conabitur, vt Antichristo venturo, eiusq; consortibus viam errorum præparet, multiplicat in nobis fidelibus ingeniorum dotes; firmat imbecillitatem naturæ, gratia intelligentiæ, & prudentiæ cumulo ætatis breuitatem recompensat, vt, si quis postmodum seducatur & deuiet, seq; lateri inimici sui coniungat, nullam inueniat ansam erroris sui defendendi, quasi seductum se, ex ignorantia, arguere velit, cum ipsi non solum larga, sed etiam matura, veritatis scien-

tia

tia ob id data ſit, ne leuiter falſitati crederet, ne mendacio conſentiret.

Danielis prophetia nunc impletur, quæ dicit, quod pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia: &, qui ſint Chriſti aduentum expectantes & deſiderantes, oſtenditur. CAP. XX.

NEMO igitur dubitet, quin iam illa reuelatio, facta Danieli per Angelum, compleatur, quæ dicit, quod pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Tranſeunt enim hoc tempore plurimi, vt ſupra docuimus, qui non ſolùm non dimidiant dies ſuos, verumetiam, priuſquam vitæ curſum perfectè inchoauerint, abcedunt: & in cæteris, quos ſuperuiuere contigerit, varia & multiplex inuenitur ſcientia. Hæc autem, etſi communis ſit omni ætati & ſexui, non tamen communiter omnibus proderit ad ſalutem; quia non omnes, per illam, agnoſcunt creatoris ſui munificentiam, nec, quæ de Iudicij inſtantis periculis prædicantur, credunt. Impie, inquit ſanctus Daniel, impij agent, neque intelligent omnes impij. Porrò docti intelligent, & in populo docebunt plurimos. Populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit, & faciet. Quid obtinebit? quid faciet? Obtinebit vtique auxilium, ne ſuperetur ab aduerſarijs: & faciet iuſtitiam, Deiq; voluntatem, ne ſeparetur ab amicis.

Daniel. 12.
Pſal. 54.
Daniel. 12.

amicis. Amici ſunt, quibus dicitur: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Vos autem, inquit, dixi amicos quia omnia, quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Quapropter dulciſſime Ieſu, cùm iuxta ſit dies perditionis, & adeſſe feſtinẽt tempora, rogamus, ſi voles, ſiq; expedire cognoueris, vt notum facias nobis finem noſtrum, & numerum dierum noſtrorum quis eſt, vt ſciamus, quid deſit nobis: Paratum cor noſtrum Deus, vt propenſe faciamus, quæcunque præceperis: Paratum cor noſtrum, vt dilıgẽter caueamus, quæcunque prohibueris. Si nos, non amicorum gloria dignos iudicaueris, participemus ſaltem vel ſeruorum gratiam. Beatúmne ſeruum illum pronunciaſti, quem, cum venerit dominus eius, inuenerit vigilantem? Sit amicorum ardenter diligere. Sed tamen ſic fidelium ſeruorum reuerenter metuere eſt, vt non minus diligere, quàm timere velint.

Ioan. 15. Deut. 32. Pſal. 38. Pſal. 107. Lucæ 12.

AMANT amici vt dilecto ſuo inhæreant: metuunt & vigilant ſerui, ne dominum offendant. Illi obſeruant gratiam, quam accepere, & ad menſam expendunt, ne vſuram mentis perdant: hi verò, quod necdum habent,

bent, precibus & lachrymis impetrare contendunt. Illi gaudent de promissæ felicitatis securitate, & gratias agunt: hij, de aduersitate præsentis sæculi, tristantur, deq; seueritate futuri examinis trepidant. Sed quid ad Dominum, pro his, lætus Psalmista dicit? Dedisti metuentibus te significationẽ, vt fugiant à facie arcus. Quid verò est arcus? & vbi est? Audi Augustinum dicentem: *Arcus, inquit, est extentus: adhuc in comminatione est, nondum in præsentatione. Et videte, quid sit in arcu. Nonne sagitta in priora mittenda est? Neruus tamen retro extenditur in contrarium, qua illa mittenda est. Et quanto plus erit eius extensio retrorsum, tanto maiore impetu illa currit in priora. Quid est, quod dixi? Quanto magis differtur iudicium, tanto maiore impetu venturum est. Ergo & de temporalibus tribulationibus gratias Deo agamus, quia dedit plebi suæ significationem, vt fugiant à facie arcus: vt exercitati fideles eius in tribulationibus temporalibus, digni sint euadere damnationem ignis æterni, quæ inuentura est omnes, qui ista non credunt.* Hæc ille: *Interim tamen necessarium puto admonere lecturos* (vt Lactantij verba mihi vsurpem) *quod hæc nostra, quæ tradimus, praua vitiosaq; mentes aut omnino non intelligent, (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes grauant imbecillesq; reddunt) aut etiam, si intelligent, dissimulabunt tamen, & esse hæc vera nolent, quia trahuntur à vitijs; & scientes malis suis fauent, quorum suauitate capiuntur: & virtutis viam deserunt, cuius acerbitate offenduntur. Nam qui auaritia, & opum inexple-*

Augustinus in Psal. 59.

Idem & Gregor. dicit lib. 19. mora. cap. 28.

Lactantius li. 7. cap. 1.

Mentes prauæ.

Auari.

explebili quadam siti flagrant, quia non possunt venditis aut elargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere, sine dubio, malunt id esse fictum, quo desiderijs suis renunciare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati, (vt ait Poeta) in Furias ignemq́ꝫ ruunt, vtique incredibilia nos adferre dicunt: quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam, cum corpore, adiudicauerunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum, ad honores acquirendos, contulerunt, ne si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentia & honore contempto, humiles viuere. Ii sunt homines, qui contra veritatem, clausis oculis, quoquo modo latrant. Qui autem sani sunt, vel erunt, id est, non ita vitijs immersi, vt sanabiles sint, & credent his, & libenter accedent: & quæcunque dicimus, aperta & plana & simplicia, &, (quod maximè opus est) vera & inexpugnabilia illis videbuntur. Hæc de septimo libro Firmiani, vbi etiam de iudicio tractatur, excripsimus. Sed quid mirum est, prauas vitiosasq́; mẽtes, quæ vitijs trahuntur, & suauitate delectantur peccatorum suorum, aut non intelligere omnino, quæ de iudicij vicinitate acerbitateq́; pronunciantur, aut si intelligãt, dissimulare, cum præsentem vitam perpetuam, sibiq́; propriam velint, futuram verò aut nullam credant, aut minus beatam existiment? Vtinam nõ sint inter doctos, abdita scripturarum rimãtes quotidie, populisque notitiæ suæ, & scientiæ, & gloriæ

Luxuriosi.

Ambitiosi.

Qui clausis oculis contra veritatem latrant.

gloriæ partem communicantes, quibus non tam tædium quàm risus est, disputare de iudicio, illoq; quo futurum putatur tempore. Sed interim quod inepti rident, inuiti expectant, & timentes horrent, quod malè sibi cõscij desiderare non audent. Vtinam vel tandem ita metuerent, ne omnino negligerent: *ne dum mortis dies vel iudicij, longe esse putatur, præoccupet improuidos, & vita, dum longa expectatur, cito deserat male conscios. Quam multi,* inquit Augustinus, *si dicatur illis, ecce iam Christus; cras dies iudicij, non dicunt, vtinam veniat. Qui enim dicunt, multum amant. Et si dicatur illis, tardabit, timent ne tardet.* Taliter affectum esse quemuis iustum hominem, *cuius mors non naturæ finis, sed culpæ est,* testatur B. Ambrosius: *Manifestum est,* inquit, *hunc expectare diem iudicij, qui circumspectus, sollicitus est. In quo iudicio, nemo innocens periclitabitur: nemo sceleratus eludet. Nemo tamen,* vt idem ait, *festinat ad iudicium nisi de innocentia securus, aut qui de labore præsumit cui aut* gratia Domini, *aut pia pro Christo certamina suffragantur.* Festinant aũt, vt idem alibi dicit, *innoxij ad iudicium, & propriæ innocentiæ arbitris desiderant citius comprobari. Nam aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit,* secundum Augustin. *illa dies desiderari. Ille autem,* inquit, *eum desiderat, qui fiduciam habet in illo. Ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta, atque syncera. Eis autem* (eodem teste) *nouissimus dies, terribiliter venturus auditur, qui securi esse bene viuendo*

Bernar. epist. 64. Augustin. super Psal. 127.

Ambros. in Psal. 61.

Ambrosi. in Comment. 1. ad Cor. 1. ca.

Ambros. ser. 16. in Psal. 118.

Ambros. Exhorta. ad virginem.

Ambros. ser. 20. super Psal. 118. vers. 2.

August. tract. 9. in epistolã Ioannis.

Augustin. in princip. Psal. 36.

uendo nolunt, & male viuere diu volunt. Et iterum Ambros. *Videmus*, inquit, *in hoc sæculo, innocentes lætos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij, reos autem refugere, & pauere, differre, vitare, iurare, mæstificari denique, cum diem iudicij audierint constitutum. Beatus itaque ille, qui illud cœleste iudicium lætus expectat. Scit enim regnum cælorum, angelorum consortium, coronam quoque bonorum, repositam esse meritorum. Neque enim ægrotus vri desiderat vel incidi, vt possit recipere sanitatem. Refugit qui grauius ægrotat, ne vratur, ne incidatur, ne alligetur, ne abstineat à cibo. Qui autem salutarem habet valetudinem, medico securus occurrit. Bona conscientia, cum examinatur, probatur.* Hactenus Ambros. Et in opere imperfecto dicit Chrysost. *quod omnibus laborãtibus dulcis est finis. Viator libẽter interrogat vbi est mansio; mercenarius frequenter cõputat, quando annus cõpletur: agricola semper tempus messis expectat; negotiator die ac nocte thecæ suæ discutit rationẽ; mulier prægnãs semper de decimo mense cogitat. Sic & serui Dei libenter de consummatione sæculi requirunt. Scriptum est enim: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Ecce, si solidorum aliquam quantitatem habeas, in arca, repositam, quotiescunque veniens de platea, domum tuam ingrederis, ante omnia, illum locum oculi tui respiciunt, vbi solidos habes: sic & sancti illum locum respiciunt, vbi repositam habẽt coronam. Nam vtile est, tempus consummationis cognoscere, quia & homo, in itinere, constitutus, quanto magis appropinquauerit mansioni, tanto amplius incipit festinare. Nam in longa via, etiam veloces homines pigriter ambulant; quando*

Ambros. ser. 7. super Psal. 118. vers. 4.

Ambrosi. ser. 3. super Psal. 118.

Chrysost. Hõmil. 48. in opere imperf.

Matth. 6.

Vtile est tempus consummationis cognoscere.

autem via fuerit breuiata, etiã pigri velociter ambulant. Ideo quãto magis laudabiles sunt sancti, qui ante Christũ fuerũt, tanto nos vituperabiles, qui post Christũ sumus, & adhuc de sæculo recedere nolumus. Illi quidẽ sciebant finẽ esse futurũ, quando aũt nesciebãt. Nos aũt, Domino demõstrante, quotidie sæculũ finiri videmus, & tanquã mali serui (iam albescit aurora) & adhuc dormimus. Nã peccatores homines nunquã putant sæculi finem esse futurũ. Et quid mirũ, si, quod audiũt, non credũt cùm nec illud credunt, quod quotidie vident. Nã quotidie manibus suis efferunt mortuos, & mortales se esse nõ putant. Quare non video aliã propinquiorẽ viã, tam pro spiritualibus, quàm sæcularibus hominibus, ad bonæ consciẽtiæ testimoniũ acquirendũ conseruandumq;, quàm si iugẽ sibi memoriã, imaginẽq; futuri iudicij, ante oculos constituãt; sic, vt nõ solum terrificum illius horrorẽ, verumetiam vicinitatem sedulo meditentur. Hanc enim memoriam tria in nobis operari, nisi negligamus, agnoscimus: tolerantiam in cunctis aduersitatibus, & laboribus, ne deficiamus; timorem in prosperis huius vitæ succeßsibus, ne effluamus: fortitudinem in tentationibus carnis, ne succumbamus. Vnde nõ minimam consolationem esse laboris, testatur Ambros. *cito sperare venturum iudicem, & remuneratorem, & consolatorem remuneraturum certaminis constantiã.* Huc etiam spectat quod & alibi dicit: *Si mente cernerent homines peccatores, quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculi, si non infidelitate grauarentur. Quantumuis, qualemuis*

Peccatores non putant sæculi finem futurum.

Ambrosi. ad Hebr. 10. cap.

Ambrosi. ad virginem lapsam.

cruciatum longior vita duceret, optarent, dummodo in illas pœnas æterni ignis, non incurrerent. Ergo longinquus ille iudicij prospectus, hanc secum adfert vtilitatem, vt sensus hominum, circa vanitates sæculi & carnis voluptates, non versentur; & qualemuis potius cruciatum, in corpore sufferre parati sint, quàm præuisas pœnas æterni ignis incurrere. Confige (inquit iustus ille) timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Timebat iudicari, sed vulnerari timore Domini non metuit: Quia ne ad pœnas ignis iudicaretur, optauit, vt, per pœnas carnis, configeretur. Aliam vtilitatem, quam iudicij confert memoria, S. ostédit Hylarius. Ait enim: *In omni vitæ nostræ genere, memoria nobis diuini iudicij inserenda & continenda est, vt cum aliquid agimus, residente in nobis iudicij memoria, vel nunquam potius abeunte, præceptis* Dei *opera nostra famulentur. Beatus,* inquit, *erit, quisquis non sine memoria iudicij diuini omnia gesserit.* His fere similia sunt quæ Chrysost. super Ioannẽ dicit. *Summa nobis, in omnibus, vtendum est diligẽtia dilectißimi, quia reddenda ratio est, & verborũ & operum: & proculdubio pœna subeunda. Non enim in præsenti vita, finis nobis est, sed alia nobis conditio expectanda; formidoloso iudicio aderimus. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gesit, siue bonum, siue malum. Hoc iudicium semper præ oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut, qui diei illius obliuiscitur, tanquam*

Psal. 118.

Hylarius in Commenta. Psal. 118.

Chrysost. Homil. 38. super Ioannem in princip.

2. Corint. 5.

 freno

Psal. 10. *freno abiecto, in præcipitium defertur: Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, & cauſam adfert, Auferuntur iudicia tua à facie eius; ita, quem continuus hic percellit timor, modeſtè viuendi viam ingreditur.* Quis enim, quærit Gregor. Nyſſenus, *terribilis iudicij Chriſti recordatus, non ſtatim in conſcientia ſua quaſi conuellitur? ac terrore & angore non conſtringitur? atque etiam, ſi vitæ melius, quam deterius actæ ſibi conſcius ſit, attamen ad exactam diligentiam, & rigorem iudicij reſpiciens, in quo minimæ quoq; culpæ in quæſtionem adducuntur, conſternatur: ac prorſus expectatione terribilium pœnarum perhorreſcit, ignorans quiſnam ſibi iudicij exitus, & euentus futurus ſit.* Sic Nyſſenus.

Gregor Nyſſe. Orat. in 6. Pſal.

Iudicij extremi horror ex ſcripturis manifeſtatur.

CAP. XXI.

HACTENVS de iudicij vicinitate diſſeruimus, nunc pauca, quæ ſcripturæ pandũt, de horrore illius, & acerbitate, proponemus. Accingite vos, inquit Ioel propheta, & plangite ſacerdotes, vlulate miniſtri altaris. Ingredimini; cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interijt de domo Dei veſtri, ſacrificium, & libatio. Et clamate ad Dominum, Ah ah ah diei, quia prope eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet. Canite tuba in Syon: vlulate in monte ſancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia veniet dies Domini: quia prope eſt dies tenebrarũ, & caliginis; dies nubis & turbinis. Magnus

Ioelis 1.

Ioelis 2.

gnus enim dies Domini, & terribilis valde. Magnus reuera dies, in quo magnus Dominus, & laudabilis nimis, & terribilis super omnes Deos, annunciabit, inter gentes, gloriam suam, & in omnibus populis mirabilia sua. Magnus dies, post quem, nec vlla temporum mutatio, nec dierum vicissitudo sequetur; sed qui ipsam æternitatem incommutabilis in se comprehendat beatitudinis. Et quidem terribilis valde. Ecce enim dies illa veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & facientes iniquitatem, stipula; & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen. Et Dauid dicit: Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Et iterum: Nubes & caligo in circuitu eius. Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra. Et rursum alius propheta: Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, tribulationis & angustiæ; dies calamitatis & miseriæ; dies tenebrarum & caliginis; dies nebulæ & turbinis; dies tubæ & clangoris. Quis ergo sustinebit illum diem, vbi fortis tribulabitur? quis euadet, vbi superbi & omnes facientes iniquitatem, veluti stipula, inflammabuntur?

Psal. 98. Malach. 4. Psal. 49. Psal. 96. Sopho. 1.

quis non perterritus ſtabit, vbi germina cum radicibus, funditus euellentur? quis impius? quis peccator comparere audebit, vbi iuſtus vix ſaluabitur? *V bi tunc ſe impij videbunt? vbi adulteri? vbi ebrioſi? vbi maledici ſe recognoſcent? vbi amatores luxuriæ? vbi raptores? vbi ſuperbi & inuidi apparebunt? Quid infœlices, pro ſua defenſione, dicturi ſunt? quos toties admonitos, & tamen imparatos dies ille reperit? Cum ad illam Archangeli tubam, omni buccina clariorem, totus ſimul cœperit mugire mundus, qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminoſos quoſq; negligentes ac tepidos occupabunt?* Cæterum cum veriſimile ſit, quamplurimos eſſe Chriſtianorum, qui, ex quadam ſtupiditate, parui facientes illa, quæ de iudicij terroribus prædicantur, ſe iam ad mortem paratos fore, ac ſumme deſiderare extremũ diem profitentur, ideo Amos propheta minatur talibus, dicens: Væ deſiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Dñi iſta, tenebræ & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus; & ingrediatur domum & innitatur manu ſua, ſuper parietem, & mordeat eum coluber: Valde, inquit, male vobis conſulitis, temerè deſiderando diem Domini extremum. Non enim in lumine vultus Dei ambulabitis, qui non lucis filij, ſed tenebrarum fuiſtis. Ideoque tenebræ vos comprehendent. Quicquid tunc tentaueritis, non effugietis, non euadetis. Et ſi à leonis facie, de tribu Iuda,

1.Petr. 4. Augu. ſer. 51. Domini, in ſexage.

Amos 5.

Pſal. 88.

Ioan. 12.

Apocal. 5.

poſſi-

poſsitis declinare, ne delictorum veſtrorum rationem exigat, nihilominus tamen, vrſus diabolus vobis occurret, pœnas exacturus malorum. Atqui ſi hunc etiam euitetis, ſic, vt inultum ab ipſo maneat, quod per ipſum, à vobis perpetratum eſt; quando tamen ſecretam, pectoris veſtri domum ingreſsi fueritis, ſubſidium bonorum operũ inquiſituri, quaſi manibus parieti inniti volentes, ibi mordebit tortuoſus, conſcientias veſtras coluber: Ille vtique coluber, de quo in Eſaia & in Marco Eſaiæ 66. Marc. 9. ſcriptum eſt: Vermis eorum non morietur. Ac deinde in Amos ſequitur: Nunquid non Amos 5. tenebræ, dies Domini, & non lux & caligo, & non ſplendor in ea? Deterret quoque nos Eſaias dicens: Ecce dies Domini veniet cru- Eſaiæ 13. delis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſq; ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos in ea. Quaſi vaſtitas à Domino veniet: propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet, & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturientes dolebunt, & non effugient. Sed & reges, & principes, & tribu- Apocal. 6. ni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber, introeuntes in ſpeluncas petrarum, & in Eſaiæ 2. voragines terræ, à facie formidinis domini, & à gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram, incipient dicere mõtibus, Cadite ſuper nos; & collibus, operite nos. Et Oſeæ 10.

Matth.24. causam dicit Iesus, apud Matthæum & Lucã: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet; Lucæ 21. arescentibus hominibus, præ timore & expe-Matth. 24. ctatione, quæ superueniẽt vniuerso orbi. Statim autem post tribulationem dierum illorũ, sol obscurabitur; & luna non dabit lumen suum; & stellæ cadẽt de cælo, & virtutes cælorum cõmouebuntur. Et tunc parebit signũ filij hominis, in cælo, & tũnc plãgent oẽs tribus terræ: & videbunt filiũ hominis venientẽ in nubibus cæli, cum virtute multa & maiesta te. Et mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna, & cõgregabũt electos eius à quatuor Matth. 25. vẽtis, à summis cælorũ, vsq; ad terminos eorũ. Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, posside te paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et eis, qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Vigile-Lucæ 21. mus itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamur fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Exhorta-

Exhortatio ad pietatem & ad animi vigilantiam.

CAP. XXII.

CVm igitur hæc omnia expectentur propediem adimpléda,& nos, qui literas scimus,audiamus & discamus ab Apostolo,horrendum esse,incidere in manus Dei viuentis, mirum quod nō aliter studeamus exemplum esse fidelium, in sanctis conuersationibus, & pietatibus; expectantes & properantes in aduentum diei Domini,per quem cæli ardentes soluentur, & elemēta ignis ardore tabescent: mirum quod non magis abnegantes impietatem & secularia desideria, luxum carnis, gloriam mundi, diuitiarum fallaciam, & rerum omnium temporaliū superfluas curas,in omni sobrietate, iustitia, pietate nosmetipsos exerceamus:expectantes beatā spem & aduentum gloriæ magni Dei: quod non feruentiori studio simplicium animos,ac subditorū mentes,blandis scripturarum monitis,ad cœlestis patriæ desiderium accendamus: sicut Paulus fecit, scribens Corinth. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non vidētur, æterna sunt. Et rursum : Hoc itaque dico fratres : Tempus breue est,reliquum est, vt & qui habent vxores,

Hebr. 10. 1.Thimo.4. 2.Petr. 3. 2.Corint.4. 1.Corint.7.

res, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſsidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Permitto, inquit, vt ea, ſine quibus vita præſens ſtare, conſeruariq; non poteſt, vobis, non ad voluptatem, ſeruiant, ſed ad neceſsitatem; non vt ſollicitudinẽ ingerant, ſed ſolatium aliquod veſtris moleſtijs, & laboribus præſtent. Vt quid enim ſolliciti

Ambroſius. ſitis de re cito peritura? *Domino autem imminente, ſollicitudo ſæculi ceſſare debet.* Vt, quod terrenum eſt, nihil vobis conferet ad animæ dignitatem, quantumuis magnificum fuerit, ſic plurimum auferet gloriæ, ſi propenſius diligatur. An vitæ vobis, aut temporis longæuitatem promittitis? Ego, inquit, non ſolum breue, huius ætatis ſpacium, ſed & momentaneum eſſe dico. Hoc figura huius mundi prætereuntis; hoc morientium quotidie, hominum inexpectata funera conteſtantur. Quare prima, ſummaq; noſtri ſtudij cura eſſe debet, hoc præſertim periculoſo malignoq; tempore, ne ſuperuacaneis immerſi occupationibus, vitæ noſtræ rationem, ſalutiſq; anchoram negligamus; ne priuatæ quieti, aut commodo proprio, vel proximorũ, vel ſubditorum, virtutis profectum poſtponamus.

Tenea-

Teneamus itaque ſpei noſtræ confeſsionẽ indeclinabilem: fidelis enim eſt, qui mercedem repromiſit, & conſideremus inuicem, in prouocationem charitatis, & bonorum operum, non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, Lutheranis, Sacramẽtarijs, Anabaptiſtis, Caluiniſtis, ſed cõſolantes, & tanto magis, quãto viderimus appropinquantem diem. Adhuc enim modicum aliquantulumq́; , qui venturus eſt, veniet, & non tardabit promiſsionem ſuam, ſicut quidã exiſtimant, dicẽtes: Vbi eſt promiſsio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierũt, omnia ſic perſeuerant, ab initio creaturæ. Sed quouſque putatis, ſic perſeuerabunt omnia? Quouſque? dic nobis Domine Ieſu. Audite. Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cũctis gentibus. *Profecto quia iam diu eſt, ex quo dicitur: Adhuc enim modicũ, aliquantulumcunq́, qui venturus eſt veniet, manifeſtũ eſt* (vt ſuo tẽpore, inquiebat Chryſoſt.) *quia nunc multo proximior eſt*. Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonũ ad omnes, maxime autẽ ad domeſticos fidei. Quare ad domeſticos fidei? quia eſt familia, quæ domeſticos ſanguinis, domeſticos erroris, domeſticos etiam turpitudinis habet. Hanc ſæpe, aut improbus, aut tyrannus, aut bonorum ſuorum dilapidator tenet, & diſsipat. Illam

Hebr. 10.

Ibidem.

2. Petr. 3.

Aggæi 2.

Chryſoſt. Homil. 21. in epiſt. ad Hebræos.

Galath. 6.

autem non nisi fidelis quisque, & circumspectus, gubernandam suscipere potest, qui nec sibi in laboribus parcat, nec domesticorũ vtilitatibus desit. De huiusmodi, ex ore Christi, sic apud Matthæum scriptum est: Quisputas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus, super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua, constituet eum. Beatus prædicatur seruus, nó qui iam bonum operatur, maxime etiam ad domesticos fidei: non qui nunc fidelis prudensq; habetur, nec qui dat modo cibum verbi, familiæ Dei, sed quem, cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem, sic pascentem, sic vigilãtem, sic proficientem, sic perseuerantem & morientem, vt nec familiæ sui sanguinis, largos prouẽtus, ex Christi patrimonio accumulasse, nec domesticorum fidei vtilitatibus defuisse reperiatur. Hinc est salutaris illa, Domini admonitio: Attendite autẽ vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos, repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora, dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur

Matth. 24.

Lucæ 21.

Matth. 24.

venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Huic accedit quod in Marco legimus: Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui peregrè profectus, reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit, vt vigilet. Vigilate ergo, inquit, nescitis enim, quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane; ne, cum repente venerit, inueniat vos dormientes. Et vt certo cognosceremus hoc non solum Apostolis, sed in genere, omnibus dictum: continuo addidit: Quod autem vobis dico, omnibus dico; Vigilate. Marc. 13.

FINIS.

Hic liber de extremo Dei iudicio in duos diuisus, non modo nihil habet, quod fidei vel probitati morum deroget, sed & vtilis est, si excudatur, qui homines præparari faciat, ad reddendam Deo vitæ suæ rationem, quod attestor ego

Frater Ioannes Hentenius, Louanij sacræ theologiæ professor.

EIVSDEM EXTEMPORALIS ET BREVIS DE PRAESENTI CALAMITATE ELEGIA.

SI redeant, paruo defuncti tempore patres,
Et videant oculis sæcula nostra suis:
Quanta, putas, raperet miratio corda virorum
Simplicium? quantus comprimeretq; dolor?
Esto, quod expletos, quondam feliciter, annos
Gauderent, & se regna tenere Dei:
Collacrymarentur tamen, æqua tempora lance
Conferrent nostris si sua; nostra suis.
Tanto pôst illos medio; discrimine tanto
Linquimur, vt nullo quis queat ore loqui.
Pax, requies, morum integritas, pietasque, fidesq;
Tunc erat: & cunctis terra repleta bonis.
Nunc viget omne scelus: nunc exulat omnis honestas:
Nunc vicium regnat: iustus vbique iacet.
Perfidiæ vis iuncta trahit, violatq;, rapitq;
Omnia, commiscens ipsa profana sacris.
Regibus imperium, commercia ciuibus aufert,
Iustitiamq; vetat ense ferire suo.
Hócne, precor, sentit languens Antuerpia, quantum
Non seruata fides, sed violata nocet?
Qualis abhinc fuerit septem, vel mensibus octo,
Non latet externos, heu minus indigenas.
Gallus in exemplum, Germanus, Scotus, & Anglus
Transferant, ne nos falleret altra fides.
Sed, licet, vt fertur vulgò, discrimine felix
Alterius, sua qui damna cauere studet:
Credere non voluit pars cæca venire nouellam
Cum patriæ atque animæ perditione fidem.

Quod

Quod furor in templis, aris, statuisque nefandus
Abstulit, aut fregit, est reparable malum.
Quis reuocet sensus muliebres? quisue reducat
Deceptos falsa relligione viros?
Quisue animas desperantes, seseque vouentes
Dæmonibus teneat, restituatq; Deo?
Hinc illæ lacrymæ patrum, remeare liceret
Si quibus: hinc noster, continuusq; dolor.
Quis mihi det nunc posse mori, cunctisq; salutem
Partiri: lapsos, morte, leuare, mea?
Hos equidem, velut in Christi baptismate fratres
Aemulor, & membrum diligo membra mea.
Quod caro sunt de carne mea, de sanguine sanguis,
Amplector, veneror cordis amore mei.
Absit, vt errores, proprij seu dogmata sensus
Aut sequar, aut credam; pars ibi nulla mihi.
Nunc precor alme Pater, cæli, terræq; creator,
Obscuris lumen sensibus inde tuum.
Da veniam lapsis, ægris impende medelam:
Da populo pacem, pacis amice tuo.
Pontificem, Augustum, Regem, regisq; Sororem
Protege; sit Princeps sospes, & ipse Comes.
SIC VT IN ECCLESIIS MOVEANT SIBI IVSSA, FVGENTQVE
INIVSSA, EX POPVLIS CHRISTE FVGANDA TVIS.

ERRATA.

Pagina 69. versu. 7. lege emandauit, pag. 84. versu. 19. barbararum, pag.179.vers.19. remorata, pag.198.vers.8. vesperascit, pag.201. vers.10. quæque, pag.209. vers.15. consentaneo, pag.246. vers.16.peritia.

mai 7.

jul.

dulce.

16

6.

23.

65.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm